Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

FEYERABEND, OTTO

TITLE:

DE SERVIL DOCTRINA RHETORICA...

PLACE:

MARPURGI CATTORUM

DATE:

1910

Master Negative #

91-80313-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Feyerabend, Otto, 1886-
De Servii doctrina rhetorica et De Terentiano Commento Donati, dissertatio...qvam...scripsit Otto Feyerabend... Marpvrgi Cattorvm, 1910.
63 p. 22½ cm.

Thesis. Marburg.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-29-91
INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 1

DE SERVII DOCTRINA RHETORICA ET DE TERENTIANO COMMENTO DONATI

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO FEYERABEND

HERSFELDENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM

MCMX

DISSERTATIO AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE REFERENTE THEODORO BIRT PROBATA EST A. D. XIII. KAL. MART. MCMX

PARENTIBVS OPTIMIS

CAPVT I.

DE SERVIO ATQVE AELIO DONATO.

Aeli Donati commentum Terenti ut Fortunae gratias habemus, quod nobis servatum est, ita quod eius in Vergiliana carmina commentarius interiit aegre ferimus,[1]) praesertim cum ille, si cum Servii commentario comparari posset, rationi, quae inter Servium et Donatum intercessit, lucem affunderet. Nam adhibuisse Servium Donati commentarium Vergilianum permulti loci, quibus ipsum Donatum nominavit, demonstrant. Atqui fieri potest, ut hanc comparationem quodammodo instituamus. Respicit enim Donatus in explicando Terentio persaepe ad Vergilium, atque hos locos Vergilianos in commentario ipso Vergiliano aeque ab eo iudicatos esse accipiendum est atque in commento Terenti. Itaque exempla Vergiliana ex Donati commento Terenti exhausi et adnotationes eius cum iis, quae Servius ad locum citatum adscribit, comparavi. Commentarium in Vergili carmina antea perscripsisse Donatum quam Terentio operam dedit, ex eo consequi puto, quod in respiciendo saepius utitur verbis his: *ut ille,* scilicet Vergilius (Andr. 375, 699, 883, 890). Ceterum nihil refert utrum ille Vergilianum an Terentianum commentarium prius composuerit.

Habemus igitur Vergili commentarium quasi in speculo quamvis mutilatum depravatumque. Nam hoc monendum est ne in Terenti quidem commento totam nobis Donati doctrinam Terentianam traditam esse, nedum in eo omnia,

[1]) vide Mus. Rhen. 45, 636.

quae in commentario Vergiliano Donatus de Vergilio exposuerit, servata esse opinemur. Alia ex parte multa, quae scholiis continentur, ab interpolatoribus extenuata vel superaddita esse constat. Itaque duplex nobis exstitit inquisitio: primum diiudicare, utrum genuinum sit exemplum Vergilianum quod exstat, tum utrum aliquomodo cohaereat Donatus cum Servio. Atque haec disquisitio iterum dividitur in duas partes, quae ex ipsa re nascuntur: primum comparem Donatum cum ipso Servio, deinde cum pleniore qui dicitur commentario.

Neque desunt qui Servii commentarios cum Donato comparaverint. Thilo ipse in praefatione editionis pagg. XXII et LXXVI indicem locorum attulit, quibus Servium cum Donato consentire dicit. Quem quomodo et ex quo principio orsus invenerit nescio. Tum G. Laemmerhirtius (De priscorum scriptorum locis a Servio allatis, diss. Lips. a. 1890) ex Servio profectus et alios locos a Servio citatos et eos collegit, quibus Servius Terentium citavit (pag. 315 sqq.) et eos cum iisdem locis a Donato explicatis comparavit. Cuius explicationes quoad ad meas pertinent in tempore proferam. Sed si Laemmerhirtius comparata doctrina rhetorica Serviana cum Donati aliorumque in haec erumpit verba (pag 340): ‚Si quis ex me quaerat: quid tu? quonam ex fonte tu Servium Donatiana hausisse credis, quatenus spectant ad rhetoricam artem? respondeam: ex commentario Donati Vergiliano. Quae sententia quamvis nullo modo firmari possit ita atque stabiliri, ut de ea dubitet nemo, tamen haud ita improbabilem esse concedes‘, — si igitur in illa verba erumpit, equidem non consentio. Nam rem rhetoricam non ex commentario sed disciplinam totam eum ex plena arte quadam hausisse rhetorica infra demonstrare conabor, adhibuisse vero Servium Donati commentarium Vergilianum ex aliis exemplis firmari atque stabiliri posse confido. Habeo enim quibus Servium auctore non nominato illum adhibuisse demonstrem.

Andr. 8. D.[1]) explicavit pluralem *vitio dent.* Cum antea Terentius nonnisi unum nominaverit, qui vitio daret, malivolus poeta scilicet, tunc plures nominari. Aeque etiam V.[1]) XII, 60 dixisse: *Desiste manum committere Teucris.* Amata, uxor Latini, hic Turnum adfatur pugnaturum cum Aenea, ne ei iniuriam inferret: ‚*Desiste m. c. T.*‘. Plures igitur dicit, unus sentitur. Servius ad locum: *ab omni eum bello, non tantum a singulari certamine dehortatur.* Sane S.[1]) idem sensit atque D., quamquam id cautius expressit pro *omnes a bello non tantum a singulari certamine eum dehortatur.* Sensus idem est, neque Servium, virum plenissimum doctrinae et sapientem, noluisse ipsa Donati verba perscribere mireris. Commutasse eum verba, ubi causam sibi esse putabat, infra exemplo demonstrabo. Itaque non modo eos locos, qui ad verba cum Donato consentiunt sed etiam quibus sensus modo congruit contuli.

Andr. 38 D. Terentium laudat, quod imperfecto usus sit tempore respicitque ad locum Verg. VI, 113, ubi Aeneas a Sibylla ut patrem videre sibi liceat petit, qui cum eo ‚*omnes pelagi caelique minas ferebat*‘. ‚*Ferebat*‘ *ut ostendat eum quamvis invalidus esset, tamen adhuc potuisse laborem exitiumque ferre. Potuisse* hic exstat pro ‚posse‘. Serv. ad l. c.: *ut ante morte praeventus sit quam ferre desierit. Et mire imperfecto usus est tempore ac si diceret: ‚adhuc‘ si viveret, ferret‘.*

66 ‚*invenias*‘ secundam personam pro tertia esse D. explicavit, ‚*ut* V. IV, 401, *migrantis cernas*‘. Serv.: *honesta figura, si rem tertiae personae in secundam referas, hoc est ‚si quis cernat‘.*

75 comparatur cum VIII, 408 sqq: Illic mulier quaedam laborat finisque laboris indicatur: victum quaeritans. Hic

---

[1]) D. = Donatus, S. = Servius (vel Servii etc.), V. = Vergilius. Ubi nihil additur, Aeneidis libri intelleguntur. Plen. = auctor plenioris qui dicitur commentarii.

V. Venerem labore occupatam fingit ac finem laboris nominat: *exercet penso castum ut servare cubile coniugis et possit parvos educere natos.* Quomodo D. hunc locum intellegendum esse voluerit, Servii adnotatio mihi demonstrare videtur: *‚exercet'. fatigat. Terentius ‚primo haec vitam parce ac duriter agebat'. Hinc ergo traxit V. ut diceret ‚castum ut . . .'.* D.: *subdistingue ‚tela': Finis laboris enim est ‚victum quaeritans', ut V.* (VIII, 408). — Laemmerhirtius (p. 364, B 4) hunc locum Servium non aliunde sumpsisse vult: ‚sed ipse', inquit, ‚Terentianae lectionis subitariae fructum, ut occasio ferebat, adnotationibus suis inpersit'. Similes locos apud alios non inveniri. At sufficiat, credo, quod Donatus ad Ter. Andr. 75 V. VIII, 408 citavit. Sane idem in vicem in Vergiliano commentario Terenti Andr. 75 citaverat, atque satis similitudinis in eo esse censeo Servium Terentianum, Donatum Vergilianum locum protulisse.

83 ‚habet' dici de eo, qui letaliter vulneratus sit D. explicat affertque V. XII, 296, ubi ‚habet' item de gravissime vulnerato usurpatur. Servius iisdem fere verbis usus est: *id est letali vulnere percussus est. sic Terentius ‚certe captus est, habet'.* Servium hoc Donato debere puto, qui Vergilianum commentarium suum exemplis Terentianis illustraverat. Neque dissentit Laemmerhirtius, qui pag. 360 (B 5) locos comparavit.

102 D. dubitat utrum ‚dictus' pro ‚constitutus' an pro ‚dicatus' positum sit similemque locum affert V. VI, 138 *Junoni infernae dictus sacer.* Serv. ‚dictus' pro ‚dicatus', usurpatum esse vult.

234 discrimen vocum ‚exanimus' et ‚exanimatus' D. exponit citatque V. V, 805, ubi ‚exanimatus' ‚perturbatus' et XI, 30, ubi ‚exanimus' ‚mortuus' significet. Serv. his locis nihil adnotavit sed I, 484: *exanimus est mortuus, ut hic indicat locus, exanimatus vero timens ut ‚exanimata sequens'* . . . (V, 805.)

270 ad Pamphili verba *egone istuc conari queam?* scilicet Glycerium deserere, D. adnotat: *non perficere sed conari. Velle aliquid ad scelus effectio est, etiamsi non potest fieri. Hic enim voluntas, non factum damnatur, ut V. VI, 624.* Serv. ad l.: *illic sunt et qui fecerunt et qui conati sunt. Dicit autem secundum Romanum ritum, in quo non tantum exitus punitur sed et voluntas.*

279 D. Terentium ordinem non servasse dicit: *‚Ferum' enim reddidit ad consuetudinem, qua etiam ferae mansuescunt.* Amorem vehementiorem esse in homines, ut V. Geo III, 258. Serv. 255: *hoc enim vult probare non tantum feras sed mansueta animalia amore in furorem moveri* et 258: *ne forte occurreret illa animalia carere ratione, dicit etiam homines gravius in amore moveri.*

294 *‚seu tibi morigera fuit'.* D.: *hoc quasi amanti,* ut V. IV, 317: *‚fuit aut quicquam tibi dulce meum'.* Serv.: *tegit rem inhonestam. sic Terentius: ‚seu tibi m. f.'* Quem locum L.[1]) quoque in eorum numero affert (pag. 360, B 14), quae certe Donatiana esse contendit.

328 primo quae maiora sunt, deinde quae ex his videntur minima Charinum petere D. dicit, ut apud V. I, 68 Junonem: *‚incute vim ventis aut age diversos'.* Serv.: *Sciendum sane est artem hanc esse petitionis, ut minora impetrare cupientes maiora poscamus.* Sensum verborum Servii eundem esse ac Donati non neges neque obliviscaris Servium ut virum doctum ipsa verba reddere noluisse, neque diiudicari posse, quatenus Donati doctrina genuina ad nos venerit.

331 *‚cum is nil mereat'* D. interpretatus est *praestet,* ut V. VI, 664 *‚quique sui memores aliquos fuere merendo'* et IV, 334 *‚numquam regina negabo promeritam'. Et e contrario,* pergit D., *laedit: ‚quid commerui aut peccavi, pater?'* Idem fere explicavit D. Eun. 458, Adel. 201, Hec. 487, ubi iidem citantur loci Vergiliani.

[1]) Laemmerhirtius significatur.

Eun. 458 Thais Thrasoni interroganti, num se amet de fidicina data respondet: plurimum merito tuo. D. multos meritum munus ipsum intellegere ait, *ut VI, 664, i. e. gratos sibi reddidere munerando,* sed melius esse ut praeter munus meritum dixerit. Haec adnotatio Donati obstat superiori ad Andr. 331, cum dicat *merendo* significare *praestando.* Itaque scholiastam exemplum Vergilianum loco movisse puto. Scripserat D. ad Eun. 458: Quamquam multi meritum munus ipsum intellegunt, melius est, ut praeter munus meritum dixerit, ut VI, 664.

Adel. 201 *promeruit* ‚adiuvit, profuit' D. significare vult. Cui contrarium esse *commeruit. Mereri et promereri* esse praestare beneficium, ut VI, 664, IV, 334.

Hec. 487: *‚mereri' bona dicimus, commereri mala, i. e. delinquere, peccare. Ergo hic meritam pro ‚praestitisse' dixit, ut IV, 334.* Servius ambas adnotationes, quas ad illos locos praebet, Donato debere videtur: VI, 664 *‚Et qui aliquos sui memores fecere praestando', ut* (IV, 334) *‚numquam negabo promeritam', i. e. praestitisse. Terentius ‚ego, Charine, neutiquam officium liberi hominis esse puto, cum is nil mereat . . .'* IV, 335 Serv: *‚promeritam' praestitisse [et]*[1]) *bene gessisse. et est sermo de his, qui per contrarium magis lucent. Terentius ‚ita me velim ames promerentem pater'. contra [commeritus, qui aliquid delinquit, ut] alibi [ipse Terentius] ‚quid commerui aut peccavi pater?' i. e. male egi.*

Non solum Servium sua Donato debere ex similitudine verborum effici puto, sed etiam auctorem plenioris qui dicitur commentarii, qui quae Servius intacta reliquit excerpsit atque supplevit. Haec L. quoque Servium Donato debere explicavit pag. 359, B 8. 15. 108.

Andr. 425: *‚nullane in re esse cuiquam homini fidem'.* D.: *non in nullis rebus sed neque in rebus neque in*

[1]) Uncis quadratis ea significavi, quae ampliore solum, qui dicitur, commentario continentur.

persona, ut V. IV, 273: *‚nusquam tuta fides'.* Serv. ad l. c.: *hoc est nec apud rem nec apud hominem. Terentius ‚quid credas aut cui credas'* (Adel. 330).

Adel. 330 D. fidem personae aut ipsius rei qualitate servari dicit. Hic in utroque Terentium dixisse fidem nullam esse: *et in persona et in re. Quod etiam V. transtulit brevius que exposuit* IV, 373 *‚nusquam t. f.', hoc est nec in re nec in persona.* Quin hoc Donato tribueret, ne L. quidem dubitavit (pag. 359, B 101).

Andr. 437 *‚potin es'.* D.: *integrum ‚potisne (es)', i. e. potes, ut* III, 671 *‚nec potis Ionios . .' et deest illic ‚est'. Est autem nomen ‚potis' et facit ‚potis, potior, potissimus'.* Serv.: *i. e. nec potis est.* (D.: deest ‚est') *potis autem nomen est et declinatur potis, potis* etc. *Et nomen esse docet ratio comparationis. Nam in superlativo ‚potissimus' facit.*

473 D. Terentium obstetriciam potestatem Iunoni attribuisse dicit, quamquam Menander illam Dianam appellaverit, sentiatque hoc V. Buc. IV, 10. Serv. ad h l.: *modo [Lucinam] Dianam accipimus . . . Terentius Iunonem Lucinam dicit, ut ‚Iuno Lucina fer opem'. Tamen ambae unum sunt.*

489 D. *vel* etiam significare vult, ut V. XI, 259 *‚vel Priamo miseranda manus'* et Buc. VIII, 69 *‚carmina vel caelo . . .'* Serv. XI, 259: *etiam Priamo, ut Buc. VIII, 69.* Hoc loco S. exhibet: *vel est etiam, ut ‚vel Priamo miseranda manus'.*

609 D. vocem *futili* interpretatur: *levis inanis.* Dictum esse a vase quod futile diceretur, *quod non deponunt magistri sacrificiorum, quod est acuto fundo et patulo ore instabileque est, ut* XI, 339 *non futilis auctor.* Serv. ad loc cit.: *non inanis. nam futtile vas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Vestae, quia aqua ad sacra [Vestae] hausta in terra non ponitur, quod si fiat, piaculum est, unde excogitatum vas est, quod stare non posset, sed positum statim effunderetur.*

Serv. *non ponitur*, D. *non deponunt*, S. *stare non posset*, D, *instabileque est.*

610 *‚pretium ob stultitiam fero'*. D. citavit IX, 232, XII, 351. Serv. IX, 232 *dicebant se adferre rem magnam, cuius mora pretium posset adferre, i. e. poenam. Terentius: ‚ego pretium ob s.'* — XII, 351: *modo poenam, nam pretium* τῶν μέσων *est. Terentius: ‚pr. o. s. f.'*. L. quoque hoc Donato vindicavit pag. 360, B 26.

699 *stetisse* Donatus *esse* significare explicat, ut VIII, 191 vel *plenum esse*, ut Buc. VII, 53, aliter *horrent*, ut VI, 300. — Servius Buc. VII, 53: *modo plenae sunt, alias horrent, ut ‚stant lumina flamma', alias vero ‚stant', ut ‚stant manibus arae'.* VI, 300: *‚stant' horrent, est polysemus sermo, ut diximus* (I, 646), ubi haec exstant: *stat modo ‚est', alias ‚horret', ut ‚stant lumina f.' et ‚stabat acuta silex'. Item ‚plenum est', ut Buc. VII, 53.*

937 depravata Donati adnotatio esse videtur: *duo carnifices futurarum rerum: spes et metus, dolor enim et gaudium praesentium rerum intelleguntur.* Citatur VI, 733 *hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque.* Carnifices quid hic significet non intellegere me fateor. Sed quid Donatus voluerit intellegendum esse Servii verba demonstrare mihi videntur VI, 733: *Varro et omnes philosophi dicunt quattuor esse passiones, duas a bonis opinatis et duas a malis rebus. Nam dolere et timere duae opiniones malae sunt, una praesentis, alia futuri, item gaudere et cupere opiniones bonae sunt, una praesentis, alia futuri.* Uterque igitur de passionibus, spe et metu, dolore et gaudio, agit, Serviique ex verbis elucere puto pro ‚carnifices', quod omnino sensum non praebeat, *passiones* legendum esse.

Servium sua Donato debere haud ausim contendere, quippe qui ea ipse Varroni vindicaverit.

940 scrupulum a scrupo lapide dictum esse lapillum minimum Donatus exposuit: *Nam nimis molestae sunt pedibus scrupulosae viae,* citavitque V. VI, 238: *spelunca alta*

fuit scrupea. Servius ad l.: *lapillosa. Nam scrupeus proprie est lapillus brevis, qui [incedentibus impedimento est et] pressus sollicitudinem creat. Unde etiam scrupulus dictus est.*

Eunuchus.

32 *‚Eunuchum'* ad fabulam non ad hominem referri D. explicat, ut V, 122 *‚Centauro invehitur magna'*. Serv. ibidem: *feminini est generis, si de ravi dicas, ut ‚in Eunuchum suam', cum comoediam diceret.* Quem locum Laemmerhirtius in eorum numero affert, quae artis Donatianae sunt (pag. 367, B 35).

46 *quid igitur faciam.* D. profert V. IV, 534 *hem quid agam.* Antea scholion exhibet: *schema dianoeas: dialogismos. Et apparet multa tacitum cogitasse adulescentem et tandem in haec verba erupisse.* Serv.: *‚en quid ago' ‚en' ecce, et quasi demonstrantis est particula, per quam intellegimus eum multa cogitasse et sic prorupisse: ecce quid actura sum. Est autem principium nec incongrue meretrici datum. Sic Terentius ‚quid igitur faciam'. Nam haec coniuratio multa eum cogitasse significat.* Iisdem igitur verbis Servius usus est atque D. eique sua debere mihi videtur. L. in vocabulorum rhetoricorum tractatione, qua de re me cum eo non consentire iam antea dixi, de hoc loco egit (pag. 352, B. 36).

288 *‚mira'* pro ‚mirum' exstare ironiamque esse D. adnotavit respicitque ad V. I, 669 ‚nota tibi'. Serv.: *Graeca figura est, ut Terentius ‚mira vero militi quae placeant'.*

325 cur epitheta nominibus adicerentur D. exposuit singulasque species illustravit exemplis Vergilianis III, 6 et VII, 667. III, 6 epitheton ‚discretionis' causa exstare vult. Servius ad l. c.: *‚Phrygiae Idae': ad discretionem Cretensis.*

555 *‚gestire' est sensum corporis gestu indicare, quod magis est animalium mutorum, ut Geo. I, 387.* Adhuc Donatus. Serv.: *‚gestire' laetitiam suam corporis habitu signi-*

ficare. Nam ut homines laetitiam verbis exprimunt, ita aves gesticulatione. His specialiter Servius expressit, quae Donatus generaliter dixit.

642 Donatus: *,timida' timens. Aliud naturale est, aliud eventus est, ut V.* (Buc. VI, 20) *,addit se sociam timidisque'.* Serv. l. c.: *,timidis' aut timentibus. nam timidus est, qui semper timet, timens vero, qui ad tempus formidat ex causa, aut re vera ,timidis', quia pueris per aetatem naturaliter timor est insitus.* Servium fusius rem tractasse ne mireris, si commentum Terenti nonnisi mutilatum atque dilaceratum nobis servatum esse, Donatum vero in Vergiliano commentario latius atque uberius ea exponere potuisse memineris.

772 D.: *Huius modi militia per tumultum repente suscipitur et dicitur evocatio, ubi dux alloquitur cives ,qui rem publicam salvam vultis esse, sequimini', ut* VII, 693 *,at Messapus . . . vocat subito . .' et* 614 *,insignis reserat stridentia limina consul ipse vocat pugnans'.* Serv.: *tria sunt, ut supra diximus* (II, 157) *militiae genera: sacramentum, in quo iurat . . ., coniuratio, quae fit . . ., evocatio, quod genus nunc tangit, nam ad subitum bellum evocabantur, unde etiam consul solebat dicere ,qui rem publicam salvam esse vult, me sequatur'.* — Servius Donati verba ,vultis esse, sequimini' commutavit in ,esse vult, me sequatur', ut rythmicam clausulam conformaret[1]) — ᴗ — — ᴗ — ᴗ. Atque hoc momenti esse arbitror si quis demonstratus est his quoque temporibus illas rythmicas leges observari. Quatenus vero observatae sint investigare declino ne ab incepto abstrahamur.

809 *,furtum'* quid significet Donatus explicavit: *insidiae* ut XI, 515, *adulterium,* ut Geo IV, 346, *omne malum factum,* ut VI, 568. Serv.: XI, 515 *,insidias'. Sallustius: gens ad furta belli peridonea.* — Geo IV, 346 ipsum Donatum nominavit: *secundum D. hic distinguendum est, ut dolos ad Volcanum, furta dulcia, i. e. adulterium referamus ad Martem.*

[1]) quod Birtius mihi indicavit.

Itaque ne hoc quidem dubium videatur Servium ea, quae ad V. XI, 515 adnotavit, Donato debere.

1082 *,accipit homo nemo melius'.* D. *,accipit' alit, pascit, invitat* significare explicavit, ut III, 353. — Servius ad l. c.: *,pascebat', [ut] Terentius ,accipit homo nemo melius neque prolixius'.*

Inde quod Donati exempla Vergiliana ad Terentium citata et Servii Terentiana ad Vergilium illustrandum perpetuo inter se respondent, sequi mihi videtur Servium sua ex Donato petiisse. Donatus enim, quippe qui et Terentio et Vergilio operam sumpserit, in explicando Terentio Vergilium, in Vergilio Terentium citavit. De loco quem supra tractabam, Eun. 1082, L. egit p. 359 B 61 et in Donati quoque fontes investigavit Servii adnotationem ex Donato sumptam esse non negat.

Adelphoe. 668 *,praesens praesenti eripi'* D. interpretatur: *adiuvant significationem haec ex abundante addita, ut V.* IV, 83 *,illam absens absentem auditque videtque',* et X, 600 *,fratrem ne desere frater'.* Serv.: *,absens absentem'. [unum suffecerat. sic* (X, 600) *,et fratrem ne desere frater']. Terentius ,praesens praesentem eripi, educi ab oculis'.*

Et Servium ipsum et auctorem plen. comm. de Donato hausisse putaverim. Quod confirmatur insequentibus Donati verbis dicentis totum hunc locum a Vergilio translatum esse IV, 408. Serv. plen. com. ipsum Terenti locum ad hunc versum attulit. L. hunc locum in rhetoricorum exemplorum numero tractavit, qua in re dissentire me ab eo iam dixi.

722 *,nova' mira et magna* significare D. vult, ut Buc. III, 86 *Pollio facit nova carmina,* ubi Serv.: *magna, miranda.*

Hecyra. 656 *,nubere'* explicat D. esse operiri et tegi, unde nubes sit, quod tegere soleat caelum, ut V. XI, 77 *arsurasque comas obnubit amictu.* Serv.: *,obnubit' autem*

velavit, translatio a nubibus, quibus tegitur caelum: unde et nuptiae dicuntur, quod nubentum capita [obnubantur i. e.] velantur.

717 ‚*oremus*' *accusemus, alloquamur* significare dicit D., ut X, 96. *Potest intellegi et rogemus sed non convenit personae potentiori et causae et ipsi verborum ordini.* Serv.: ‚*orabat*' *loquebatur, unde et oratores dicimus. Nam ‚rogobat' si dixeris, non procedit, qui magis conviciabatur.* Itaque non eandem modo explicationem sed etiam refutationem exhibent.

Phormio. 21 ‚*rellatum*'. D.: *geminavit ‚l', ut I, 30 ‚relliquias'.* Serv.: *ut stet versus, geminavit ‚l', nam in prosa reliquias dicimus.*

48 *natalis* melius cum adiectione temporis cuiuslibet dici D. explicat, ut *natalis hora, natale astrum.* Vergilium vero personae rusticae servientem dixisse *meus est natalis* (Buc. III, 76). Servius ad l. c.: *sane ‚natalis' apud maiores plenum fuit, licet posteritas ‚natalis dies' coeperit. Nam cum Horatius dixerit ‚natalis grate', Iuvenalis ait* (XII, 1) ‚*natali, Corvine, die . . .*'

Cum D. Vergilium ‚natalis meus est' rusticae personae ascribere dicat, Servius ‚natalis' pro ‚natalis dies' ab antiquis usurpatum esse explicat. Quod Donati ‚rusticum' Servio non obstat, qui ‚antiquum' esse adnotat. Nam ubi ‚maiores' dicit Servius Horatium sentiri ipsa verba docent, ut XI, 361 ‚antiquum est' dixit sentitque Terentium. Hic igitur Donatus Vergili locum fusius descripsit explicando rusticam personam esse, quae illa verba apud V. dixisset.

273 Phaedria Antiphonem apud patrem eius iratum, quod duxerit uxorem, defendit. Si ultro id Antipho fecerit se eum excusare nolle. ‚*Sed si quis malitia fretus sua insidias nostrae fecit adulescentiae ac vicit, nostrane culpa est?*' Donatus: *quasi non defensurus sed simul causam cogniturus advenerit. Non contendit verum esse id quod*

dicit, ne sollicitum faciat ad credendum. Sic V. (II, 136). Sinon a pastoribus Troianis captus narrat, quomodo Graeci eum sacrificare voluerint et quonam modo effugerit: *limoso lacu per noctem obscurus in ulva delitui, dum vela darent, si forte dedissent.*

Serv. ad l. c.: *medium se praebet, nam nec negat nec confirmat eos navigavisse, ne aut iis demat securitatem . . .*

His quoad conferre potui contrapositis satis iam mihi demonstravisse videor Servium Donato non iis solum locis, quibus ipsum nominavit, vel probans vel impugnans, sed etiam permultis aliis usum esse. Sed praesto mihi sunt quibus plenioris quoque commentarii auctorem de Donati commentario hausisse demonstrem.

Andria 289 *quod per ego te dextram hanc oro* et V. II, 141 *quod te per superos . . oro* D. contulit. ‚Quod' significare *propter quod.* Utroque loco agitur de obtestatione. Si voce ‚quod' ‚propter quod' significari ex ipsa re appareret, Servii plen., qui ipse quoque *propter quod* interpretatus est, adnotationem Donato non vindicarem. Quoniam vero illud ‚quod' etiam obiectum esse possit, id, quod primo aspectu sese offerre mihi videtur, illam alteram adnotationem ad Donatum referre non moror, eo magis, cum auctorem plen. ipsum non ita doctum esse constet, cui talis adnotatio tribuatur.

311 *omnia experiri certum est.* D.: *idem alibi ‚omnia prius experiri quam a. s. d.'. Vergilius quoque hanc posuit sententiam* (IV, 415) ‚*ne quid inexpertum frustra moritura relinquat*'. Serv. plen.: *et hoc ‚frustra', quia moritura erat. Terentius: ‚omnia experiri certum est, priusquam pereo'.*

331 vide supra pag. 9 sq.

579 *tute adeo iam eius audies verba.* D.: *adeo modo* παρέλκεται *[et abundat], ut V.* (Geo I, 24) ‚*tuque adeo*'. Serv. plen. ‚*adeo*' *hic praecipue. Quidam ‚adeo' abundare putant*

2

antiqua figura, ut III, 242 *‚omne adeo genus in terris‘.* Auctorem plen. comm. dicentem ‚quidam‘ et ‚antiqua figura‘ Donatum et παρέλκον in mente habuisse mihi persuasi.

Eunuchus. 84 *tremo horreoque.* D.: *ex amore nimio. Nimius ignis effectum frigoris reddit, ut ex frigore nimio effectus ignis secundum illud, quod physici aiunt* ἀκρότητες ἰσότητες. *Hinc et V. Geo I, 93,* ubi Serv.: *uno sermone diversa conclusit, quae tamen unum effectum habent. Nam et frigoris finis est caloris initium, et summus calor frigoris est principium: unde quasi unus effectus est frigoris et caloris. [hoc est quod Graeci dicunt* ἀκρότητες ἰσότητες.*]* Et Servii et plen. adnotationem ad Donatum recurrere puto.

653 *Eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit* aut syllempsin esse ait D., ut V. I, 573 *urbem quam statuo vestra est,* aut cum interrogatione pronuntiandum pro *qualem.* Plen. ad l. c.: *hoc schema de antiquioribus sumptum possumus accipere: ait enim Cato in legem Voconicam ‚agrum quem vir habet tollitur‘ et Terentius ‚Eunuchum quem dedisti . .‘*

Adelphoe. 207 D. *mussitanda* ‚patienda‘, ‚consideranda cum silentio‘ significare dicit: *‚Mussitare‘ enim proprie dissimulandi causa tacere est.* Plen. XII, 657: *Veteres ‚mussat‘ pro timet. Ennius ‚mussare‘ pro tacere.*

304 *hocine saeculum.* D.: *questurus de homine saeculum accusat prius, ut* (Cic. in Cat. I, 1, 2) *‚o tempora, o mores‘. Et e contrario saecula in omnibus rebus laudantur, ut V.* (I, 605) *‚quae te tam laeta tulerunt saecula‘.* Serv. I, 605: *alibi melioribus annis; felicitas enim temporum ex nascentum meritis probatur, [ut e contrario Terentius ‚hocine saeculum. O scelera, o genera sacrilegum!‘ et digna laus regibus, ut bono tempore nati esse dicantur.]* Utrumque eadem verba exhibere non neges mutatis nempe mutandis, quoniam illud primum ad Terentium, tum ad Vergilium, hoc ad Vergilium, tum ad Terentium adnotetur.

352 *colere* et maioribus et minoribus convenire ait D., ut V. I, 16 *posthabita coluisse Samo.* Serv. plen.: *coluisse autem quia veteres colere dicebant, etiam cum maior minorem diligeret, ut ‚ille colit terras . .‘* Serv. plen. specialiter expressit quod D. generaliter protulerat.

722 D. *ecce* dici exponit, *cum aliud agitur, aliud emergit novum, ut V* (II, 203) *‚ecce autem gemini‘,* (403) *‚ecce trahebatur‘, et Cicero ‚ecce autem repente, ebrio Cleomene cunctis esurientibus‘. Idem* (Ph. 264): *‚ecce autem similia omnia‘.* D.: *‚ecce‘ autem vox est apta his, quae nova et improvisa accidunt. Sic V.* II, 203, ubi Serv. plen.: *cum ex improviso vult aliquid ostendere, ‚ecce‘ posuit, ut* (318) *‚ecce autem telis Pentheus‘, sicut Cicero ‚ecce autem repente‘.*

159 *procax.* D.: *V.* (I, 536) *‚procacibus austris‘, i. e. impudentibus; nam qui multum petit, impudens est et procax.* Serv. plen.: *alii procacibus, impudentibus.*

Phormio. 20 *benedictis si certasset, audisset bene.* D.: ἀντὶ τοῦ *‚provocasset‘, ab eo quod praecedit id quod sequitur. V.* (I, 548) *‚nec te certasse priorem paeniteat‘.* Plen.: *sane ‚certasse‘ quidam provocasse accipiunt, ut Terentius ‚beneficiis si certasset, audisset bene‘.* Auctorem plen. comm. grammaticos numquam fere nomine prolato citasse, sed ubique indefinita posuisse *(quidam, alii)* Thilo in praefatione editionis Servianae pag. 15 demonstravit. Itaque quin ‚quidam‘ hic dicens Donatum sentiat mihi dubium non est. Accedit quod Terentianum locum attulit.

74 *memini relinqui me deo irato meo* illustravit D. exemplo V. XII, 539 *nec di texere Cupencum Aenea veniente sui,* Asperumque nominat auctorem. Plen. ad l.: *Terentius ‚memini relinqui me deo i. m.‘, sic alibi V.* (IV, 610) *‚nec di morientis Elissae‘.* Plen. IV, 610: *quidam hoc quod dicit ‚di morientis Elissae‘ secundum eos tradunt, qui dicunt habere nos singulos deos nostros, ut* XII, 359 *‚nec di texere Cupencum‘.*

Hic eodem fonte auctorem plen. usum esse atque antea elucet, scilicet Donato. ‚Quidam' dicens simul et Donatum et Asperum sensit, quem D. citaverat. Hoc quidem verisimillimum mihi videatur esse. Nam Donatum ceterorum quoque sententias ex eorum commentariis in sua transtulisse permultis locis Terentiani commenti, quibus eos citavit, demonstratur. Num in Vergiliano commentario aliter eum fecisse putas? Iam quid posterioribus opus fuit commentatores priores respicere aut excerpere, quorum doctrinam in Donatum coaluisse viderent!

200 D. *subito* et adverbium et nomen esse exposuit, ut (I, 535) *cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.* Plen.: *si ‚subito fluctu', nomen est, si per se ‚subito', adverbium.*

Huc usque id demonstrare studui Servium et auctorem plen. comm. Donati commentarium Vergilianum persaepe adhibuisse, etiamsi auctorem non nominaverint. Quod non modo exemplis, quibus illi Donati sententias sequuntur, comprobatur sed etiam quibus eum impugnant. Qualia iam proferam:

Andr. 868 D. ‚ne' imperativo magis quam coniunctivo adiungi dicit, ut V. VI, 544: *ne saevi magna sacerdos.* Servius ad l. c.: *‚ne saevi'. ne irascere. Terentius ‚ne saevi tanto opere'. Et antique dictum est. Nam nunc ‚ne saevias' dicimus, nec imperativum iungimus adverbio imperantis.*

Eun. 11 *prius unde petitur.* D.: *‚unde' a quo, ut V.* (I, 6) *‚genus unde Latinum'.* Serv.: *‚unde' non referas ad personam, sed ad locum, namque ‚unde' est adverbium de loco, non de ductu*[1]) *a persona.*

304 D. et ‚alacris' et ‚alacer' usurpari explicat, *ut V.* (V, 380) *‚ego alacris . . .'* Serv.: *cum acer ubique dicat, alacer tamen non dicit, licet inde nascatur. Vitat enim*

[1]) *diductu* C, *deductio* reliqui, *de ductu* Thilo, ego malo *deductum.*

confusionem. Unde utrumque non vult dicere, nam ‚alacer' nusquam [et iterum] ‚acris' nusquam dixit.

336 ‚incurvus' valde curvus significare D. interpretatur, *ut V.* (XII, 1): *‚Turnus ut infractos adverso Marte Latinos'. ‚infractos' enim valde fractos significat, nam ‚in' praepositio nunc auget nunc minuit dictionem.* Serv.: *postquam: Turnus bello defecisse videt Latinos, antea semper infractos namque ita maior est sensus, quam si infractos ‚valde fractos' exceperis.*

Adel. 847 *coquendo faxo sit et molendo.* D.: I.[1]) *Atqui est prius molere quam coquere, sed illud prius posuit, quod pulchritudo magis foedatur.* II. *An quia prius torreatur triticum, ut tundi possit, ut* (I, 179) *‚et torrere parant flammis et frangere saxo'.* Serv.: *multi hysteroproteron putant non respicientes superiora, quia dixit undis Cererem esse corruptam, quam necesse fuit ante siccari. Qui tamen etiam contra hoc illo se tuentur exemplo ‚nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo' et volunt et hic hysteroproteron esse. Quod falsum est. Nam et hodie siccari ante fruges et sic frangi videmus . . .* Quamquam ‚multos' nominavit S., tamen eum Donatum impugnare mihi persuasi secundum illud, quod supra de plenioris comm. citatis exposui. Auct. plen. comm. numquam Donatum impugnavit, id quod eum minus doctum nec proprii iudicii compotem fuisse confirmat.

Iam nonnulla restant, quae Donati esse negaverim quaeque ab interpolatore quodam addita esse videntur. Quae proferam, quamquam de origine scholiorum et de magna illa quaestione Donatiana fusius disserere alienum ab incepto meo puto.

Andr. 16 ‚contaminari' quid significet D. explicavit: ‚polluere'. Tum altero scholio affertur V. III, 61 *linqui pollutum hospitium.* Spurium hoc exemplum esse puto, quippe

[1]) Singula scholia numeris segregavi.

quo non *contaminari* vox explicetur sed ‚polluere', qua ipsa voce ‚contaminari' quid significaret D. interpretari voluit. Nempe ineptum mihi esse videtur vocem quandam, quae ad aliam explicandam affertur, exemplo illustrari. Similiter res se habet Phorm. 107 *ut ni vis boni in ipsa inesset forma, haec formam exstingueret.* D. veteres formam ignem et calorem dixisse explicat quasi fervorem, ideoque fornaces, forcipes, formam, formosos, ex quibus amoris ignem exsolvatur. Laudandum Terentium propter proprietatem esse servatam. Tum altero scholio legimus: *Ergo et sic V. ait* (Buc. III, 66) *‚at mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas'.* Quod Donati esse nego. D. enim demonstrare vult ‚formam' vocem et alia stirpis ‚for' vocabula a veteribus ad ignem referri. ‚Forma' igitur quasi ‚ignis' est. Recte pergit D. Terentium propter proprietatem servatam laudandum esse, quod ad ‚ignis' illud ‚exstingueret' rettulisset. In exemplo vero Vergiliano de forma vel alio verbo eiusdem stirpis sermo non est, sed de igne, qui se offert. Itaque ab interpolatore id additum esse suspicor.

Eun. 4 scholion, in quo exemplum Vergilianum citatur, spurium esse videtur. Agitur enim de hoc: *si quisquam est, qui . . ., tum si quis est, ...* Est igitur anaphora, ad quam illustrandam citavit D. Buc. VI, 61 *Tum canit, tum . . circumdat, tum canit.* Supra ‚tum', significare ‚praeterea' D. dixit, at vero in Vergiliano loco duplex ‚tum' nonnisi ‚modo — modo' significare potest.

68 *quam oculos terendo misere vix vi expresserit.* D.: *totum sensum verbis significantibus protulit, ut* (Buc. III, 27) *‚stridenti miserum stipula disperdere carmen', et* (IV, 376) *‚nunc augur Apollo, nunc Lyciae sortes'.* Quid Aen. IV, 376 significanter expressum sit, intellegi non potest. Itaque nisi alio conexu id exstitisse accipimus, retineri non posse arbitror.

739. Ad Terenti verba *credo equidem illum* (Thrasonem) *iam adfuturum esse* citavit Donatus V. X, 143 *adfuit et Mnestheus.* Nisi quod eadem voce utitur uterque poeta

(adesse), similitudinem hi loci non habent. Neque adeo minus usitatae fuerunt hae voces, ut alteram altera explicare oporteret. Itaque spurium hoc Vergilianum esse mihi persuasi.

Eun. 894 Donatus iisdem fere verbis explicavit atque Andr. 755, Eun. 89, 908, quibus locis citavit V. IV, 93.

Andr. 755 *mirum vero. ‚vero' saepe ad ironiam refertur.*

Eun. 89: *‚sane quia vero'.* — II. *nam ‚vero' ironiae convenit, ut* (IV, 93) *‚egregiam vero laudem'.*

Eun. 894: *‚ego vero'. ‚vero' modo consentientis est adverbium, alias confirmantis, alias coniunctio est, alias particula ironiam iuvans, ut* IV, 93.

Eun. 908 *‚virgo vero'.* I. *‚vero' ironicos.* II. *Nam ironia est, ut V.* IV, 93.

Eun. 894 genuinam esse adnotationem apparet, quae cum plena sit, sensum idoneum praebet. Illud autem ‚vero' ironiae convenire nonnisi ab interpolatoribus de hoc loco tractum esse videtur.

Adel. 570 citatur V. II, 670, quod exemplum praeterea exstat Andr. 196, Adel. 215 ad explicationem vocis ‚hodie', Andr. 410 vocis ‚numquam' prolatum.

Andr. 196 congruit cum Adel. 215: *‚hodie' ad comminationem, non ad tempus plerumque refertur, ut V.* II, 670 *‚numquam omnes hodie moriemur inulti'.* Adel. 215: *‚hodie' non tempus significat, sed iracundam eloquentiam ac stomachum, ut V.* II, 670.

Adel. 570 *‚hodie' aut abundat, ut V.* II, 670, *aut ‚numquam' pro ‚nullo tempore huius diei', quia numquam per se generale est.*

Andr. 410: *‚numquam' plus asseverationis habet quam ‚non', ut V.* II, 670.

Adel. 570 a prioribus exemplis abhorrere liquet Donatique esse negaverim. Cum enim illic iracundiam atque comminationem hac voce exprimi D. dixerit, hic id abundare contendit.

Adel. 796 D. ‚putare' vocem interpretatus est affertque V. VI, 332, quod exemplum praeterea exstat Eun. 632 et 813.

Eun. 632: *puto i. e. aestimo, ut* VI, 332.

813: *bene putas i. e. recte putas, intellegis, vel sapis, ut V.* VI, 332.

Adel. 796 *‚putemus', ‚tractemus', ‚purgemus', ut* VI, 332. *Putare est enim cassa et falsa a veris et utilibus resecare, unde arborum purgatores putatores dicuntur.* — Iam ad spectanda ipsa haec exempla animos advertamus. Eun. 632 Phaedria adulescens secum loquitur: *quid opus est verbis? dum haec puto, praeterii inprudens villam.* Sane hic putare ‚reputare' significat. Serv. V. VI, 332: *reputans, cum animo pertractans.* Eun. 813 Thraso ad Gnathonis verba: *novi ingenium mulierum, nolunt, ubi velis, ubi nolis, cupiunt ultro* respondet: *bene putas.* D.: sapis, intellegis interpretatur. Neque vero quod protulit exemplum Vergilianum VI, 332 huc quadrare apparet, quoniam ‚multa sapiens' vel ‚intellegens' ab usu sermocinandi abhorret neque sensum praebet, neque adeo tria diversa illum locum significare voluisse potest Donatus, neque ‚tractans' neque ‚intellegens'. Ita etiam Adel. 796 Vergilianum illud postea ab interpolatore additum esse conicio.

Hec. 258 *etsi tu illi pater es* Donatus per compendium Terentium attulisse vult, ut V. II, 289 *heu fuge, nate dea,* pro ‚quamvis natus dea sis, fuge tamen'. Quod ab interpolatore mutilatum esse suspicor, cum hic non usus sit compendio Terentius, immo vero totam sententiam sit exsecutus ‚etsi . . es'. Itaque si minus ad ipsum Donatum hanc adnotationem referendam esse accipimus, haec eius verba fuisse existimo: ‚Compendium vitavit, quo usus est V. II, 289'. ‚Attulit' coniunctum cum ‚compendium' iam per se suspectum fit et a sermone cottidiano, quo dicebatur ‚compendio uti' vel simile, abhorret.

Sed iam satis de his disseruisse videor atque ad alia propero.

CAPVT II.

DE SERVII DOCTRINA RHETORICA.

His hucusque expeditis nunc me ad rem rhetoricam converto, in qua quod exemplar Servius secutus sit, mihi proposui ut investigem. Qua de re iam antea Laemmerhirtium egisse dixi. Neque vero quae protulit arrident neque placent. Nam ille vir doctus non omnia artis rhetoricae vocabula collegit sed eos locos composuit, ‚quibus Servium similitudine quadam coniunctum esse videmus cum grammaticis, qui in metaplasmis, vitiis orationis, schematibus, barbarismo, soloecismo, tropis operam consumpserunt'. L. Servio vilissimi furis et compilatoris speciem conciliavit, cum quasi per saturam non modo singula Servii artis rhetoricae vocabula sed etiam alios locos cum Donati commento Terenti et arte comparans de Donati Vergiliano commentario ubique sumpta esse dicat. Atqui Servium doctissimum illis temporibus fuisse virum, quem quidem Macrobius in Saturnalibus 11, 2 dignum putavit, qui sermonibus Vergilianis interresset, fama eius gloriae testatur. Quicumque vero in virorum doctorum numero haberi voluerit, artis rhetoricae studiis debuisse bene imbutum esse constat. Neque est cur Servium ipsum rhetorum scholis interfuisse negemus. In grammatica arte saltem eum optime versatum esse ipse eius in Donati artem commentarius docet. Ad grammaticorum autem disciplinam etiam tropos et verborum figuras pertinuisse novimus, quae si iudicium ferre volebat, notissima habuisse debebat. Quae cum ita sint, quid ei

opus fuit singula vocabula ad singulos versus ab alio petere! Atque longe aliud est nonnullas adnotationes passim excerpere, aliud seriem notarum in unum quasi systema coalescentium alicui abripere. Ita fit, ut rationem, qua antea ipse in comparando Servio atque Donato usus sum, hic admittere non possim. Sed ne nimium Servii dignitatis propugnatorem ac defensorem me esse opineris, ea quae parte prima exposui monent. Laemmerhirtium si de Donati arte Servium sua hausisse dixisset, magis laudassem. Sed ne id quidem verum, nam non ex grammatica arte sed ex libro quodam rhetoricae disciplinae eum suam de rhetoricis rebus scientiam sibi comparasse ipsa eius sententiarum figurarum notitia demonstrat. Schemata dianoeas nominavit II, 413, aliaque eius generis eum exhibentem videmus: paralipsin, apostropham, antapodosin. Non ubique eum addidisse, utrum vocabulum schema dianoeas an lexeos sit, immo falso nonnullis locis eum vocabula, velut hypallagen et litotem I, 9, 77, quae vulgo in troporum numero habentur, nominasse figuras, ne mireris. Nam quomodo tropi a figuris, verborum figurae a sententiarum, grammaticae a rhetoricis differrent, ipsi antiqui rhetores difficile esse cognitu persenserunt neque nos ignoramus. Itaque hoc nihil refert sed oculos in ipsa vocabula nos advertere oportet. Peritissimum Servium fuisse rhetoricorum vocabulorum inde sequi arbitror, quod Servius eis, qui libros suos legant, ea trita esse confidit, cum dicat ‚nota figura est' I, 425, 561, 579, alibi; bonum schema II, 429. Servium igitur ex rhetorum officinis exstitisse satis probabile me reddidisse puto.

Tum vero haec tecum reputes quaeso. Quid si ex Donato Servium rhetorica vocabula hausisse accipimus? Quonam ex fonte ipse Donatus sua protulit? Quippe qui in rebus rhetoricis tam singularia persectatus sit, quae in tota rhetorica disciplina Romanorum non occurrunt. Species enim vocabulorum numeris adiectis discrevit: *antithbeton*

primum Andr. 798, *secundum* Hec. 880, *aposiopesis prima* Adel. 143, *secunda* Eun. 184, *tertia* Andr. 747 alibi. Praeterea vocabula exhibet perrara, *hypexairesis* Adel. 24, *epiplexis* Hec. 46, *axiopistia* Adel. 250, *diaporesis* Eun. 1044, Adel. 625 alibi, *dialogismos* Eun. 50. Nisi harum inventionem ei ipsi tribuimus — quod vix credes —, ex enchiridio quodam rhetorico nobis ignoto eum hausisse reliquum est. Servius autem etsi nonnullis locis, quibus rhetorica vocabula adnotavit, cum Donato consentit, tamen inde non concludi potest Servium haec de Donati commentario Vergiliano protulisse, sed nonnisi ambos ad eundem fontem respicere. Neque diiudicare audeo, utrum recta via haec vocabula a Graecis ad enchiridii illius auctorem ignotum venerint necne, Graecusne sit fons an Latinus. Graecos rhetores perscrutatus quamquam species numeris discretas apud eos quoque inveni, tamen quae ad Servii atque Donati disciplinam accederent mihi obviam non fuerunt. (Trypho, περὶ τρόπων Walz, VIII, 729 sqq. metaphorae quattuor, onomatopoiiae, (pag. 740), septem, hyperbati duas, (pag. 743), exhibet species.) Fortasse mirum esse obieceris, quod nobis nihil de illo quod supposui opusculo traditum est. Sed auctoris eius nomen notum fuisse ne ego quidem ausim contendere. Compilator ignotus obscurus fuisse potest, qui ad ediscendum artis vocabula, fortasse ex Graecis quoque fontibus, composuit. Nam quam multi exstant libri rhetorici, quorum auctor ignotus est, Pseudo-Rufinianus, ut exemplum afferam, et alii anonymi, qui de tropis vel figuris scripserunt (cf. Walz, rhett. Gr. VIII, 617, 694, 698, 714, 779). Tum vero id accidit, quod nos optimis saepe scriptoribus privavit: Opera principalia excerpebantur, deinde ipsa praeter excerpta neglecta atque oblivione obruta sunt et interdum omnino amissa: in eorum locum compendia substituta sunt. Memineris Dionis Cassii neque non Verri Flacci, cuius lexicon nonnisi bis excerptum ad nos venit. Ita etiam Servius et Donatus operibus clarioribus neglectis compendiosae doctrinae opusculum, in quo

quae ad usum essent, commodissime composita erant, adhibere potuerunt.

Sed altius processi praefando, nunc me ad inceptum converto. Quicumque de ornatu orationis, de artis rhetoricae vocabulis scribere vult, ei hac in re eadem qua antiquis rhetoribus via utendum est, qua omnia proferenda optime proferri possunt: Primum tractet ille tropos, dein figuras, atque has quidem verborum sententiarumque. Postremo nonnulla alia vocabula rhetorica addam.

Abusionis, quam catachresin quoque nominat Servius, duas exhibet usus rationes. 1. necessitatis causa: Quia verbum quoddam deficit proprium, ex alio loco id sumi oportet. Hanc speciem ita plerumque Servius adhibuit, ut si ad significationem etymologicam spectas, verbum abusive dictum sit, quamquam usu sermonis cottidiani proprium hoc non esse saepe obliti sumus. In hanc speciem cadunt: VII, 282 *gente* de equis, proprium hominibus, Geo. I, 498 *indigetes* pro diis, proprium diis ex hominibus factis, Geo. III, 438 *catuli* de angue, proprium canum, VII, 164 *acres* de mente, proprium rei visibili et similiter I, 433, 480, 506. 2. Secunda species est, cum aliud verbum pro alio ponitur ornatus causa: I, 577 Libyae, 433 nectare, 466, 607, IV, 495, IX, 175, X, 23, 409, 484, 681, 819, 895, Geo. I, 58, 151, II, 169, III, 344, 368. Quae species accedit saepe ad metonymiam: I, 607, IV, 495, V, 8, X, 819, vel metaphoram X, 895, vel synecdochen Geo. I, 58, 151. Servium abusionem angustioribus finibus non inclusisse ex VIII, 595 elucere mihi videtur: *agmen est proprie exercitus ambulans. Quidquid aliud fuerit, abusive dicitur.* Abusio est igitur contrarium proprietatis. Plenioris commentarii exempla in secundam speciem cadunt: II, 379, III, 138, IV, 27. Quintil.[1]) VIII, 2, 5 et 6, 34-35:

[1]) Quintil. inst. orat. ed. Halm, Charis. Diom. Gramm. Lat. I Keil, Donat. ars Gr. Lat. K. IV. Martian. Capella ed. Eyssenhardt. Ceteros rhetores secundum Halmii edit. rhet. Lat. min. citavi. — Ubi nihil additur numeris librorum, Aeneidos libri intelleguntur.

catachresis, quam recte dicimus abusionem, quae non habentibus nomen suum accommodat et 35: *discernendum est hoc totum a translatione genus, quod abusio est, ubi nomen defuit, translatio, ubi aliud fuit. Nam poetae solent abusive etiam in his rebus, quibus nomina sua sunt, vicinis potius uti, quod rarum in prosa est.* Mart. Cap. V, 512 abusio = metonymia, Donat. ars 400, Charis. 273, Diom. 458, Beda 612 solam primam Servii speciem abusionem esse intellegunt. Parem in modum Donat. Eun. 816 ‚frui' a ‚frumen' etiam de rebus frumen non attingentibus. Illi afferunt exemplum *parricida,* quod proprie dictum de eo, qui patrem necaverit, abusive de fratris quoque interfectore dicatur. — Servium cum Quintiliano consentire apparet, quippe qui catachresin tum quoque esse velit, cum rebus nomina sua sunt.

Onomatopoiia.

S. Geo. III, 148: *‚vertere' ex soni similitudine onomatopoiiam fecere.* Item Quintil. VIII, 6, 31, qui affert ‚mugitus' et ‚sibilus' et ‚murmur'. Neque aliter Charis. 274 *hinnire equi,* Diom. 460, Donat. 400: *nomen de sono factum, ut ‚tinnitus aeris, clangor tubarum'.* Donat. Hec. 507 *‚vagitus.' est onomatopoiia nam vox ipsa sic est, ut quasi vagitus saepius sonet.* Beda 613 non dissentit ab his. Omnes igitur consentiunt, sed Servii verba proxime accedunt ad Donati-Charisii-Diomedis.

Synecdochen

tropum S. et partem pro toto et totum pro parte nominavit:

1. pars pro toto: I, 399, II, 225, VII, 159, Buc. I, 64. I, 724 in hanc speciem non cadit, nisi poculum plenum esse debere accipis. Non synecdoche sed nonnisi a parte totum exstat V, 192, VI, 253, X, 184.
2. totum pro parte: I, 114.

Plen. II, 25 ‚Mycenas' pro ‚Graecia'. Inepte vero IV, 16 partem pro toto adnotavit: *adverte* pro *animadverte.* Quintil. VIII, 6, 19 synecdochen amplius inclusit: *synecdoche sermonem variare potest, ut ex uno pluris intellegamus,*

parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra, liberior poetis quam oratoribus. Ut Servius synecdochen usurpavit Charis. 274, Diom. 489: *synecdoche est dictio plus minusve pronuntians quam significans. Modo enim a toto dicto pars intellegitur, modo parte nominata totum accipitur.* Afferunt V. I, 114, 399, quibus locis Servius quoque synecdochen adnotavit. In comm. Ter. exstat 1. a parte totum Andr. 371, item Adel. 261 pars pro toto. 2. totum pro parte Andr. 483. Eadem fere atque Diom.-Charis. exhibent Donat. 400, Beda 613. Serv. igitur consentit cum Diomede (Charis-Donat.-Beda).

Metonymia.

Serv. I, 1: ‚arma' pro bello. Sine metonymiae nomine dicitur I, 209 *‚spem'. laetitiam. crebra apud V. figura, quae fit, quotiens significatur ab eo quod praecedit id quod sequitur . . . Haec figura et vice versa fit, ut intellegamus ab eo quod sequitur id quod praecedit.* Item II, 48, 229. Serv. igitur metonymiam dicit, cum nomen pro nomine ita ponitur, ut alterum partem alterius non esse oporteat.

Plen. I, 177 ‚Cererem' pro frumento, quod S. synecdochen nominavit, III, 138 ‚miseranda', *quae miseranda facit,* quod S. hypallagen dicturum fuisse puto, X, 365 ‚Latio' pro Latinis. Quintil. VIII, 6, 19 metonymia = hypallage, ut *Cererem corruptam undis,* quod plen. exhibet. Mart. Cap. 474: ex parte totum aut ex toto partem. Metonymia = catachresis. Charis. 273, Diom. 458: *metonymia dicitur transnominatio. Est autem dictio ab alia propria significatione ad aliam propriam translata. Fit autem modis sex* 1. *per id quod continetur id quod continet, ut ‚vina coronant',* quod Servius synecdochen nominavit. 2. versa vice. 3. *per inventorem dominantemve inventum subiectumve: ‚sine Cerere et Libero friget Venus',* quod exemplum synecdoches esse Servius voluit. 4. versa vice: *vinum precemur,* quod Servius quoque syecdochen nominavit. 5. *per efficientem id quod efficitur.* 6. *ab eo quod fit, id quod facit, ut ‚maestumque*

timorem' pro ‚qui maestos facit'. Sic plen. III, 138 *miseranda.* Eadem fere decurtata praebet Donat. 400, ubi idem exemplum profertur atque in commento Ter. Eun. 732 ‚sine Cerere'. Servius igitur cum nullo omnino congruit, cum exempla quae plerique metonymias nominaverunt, synecdochen dixerit. Quod ipsum demonstrare mihi videtur Servium non de Donato sed de alio fonte hausisse.

Speciem pro genere, quam Quintilianus synecdoches partem esse vult, Servius protulit: I, 51 ‚austris' pro ventis, VI, 50 ‚Massyli' pro Africani, 881 ‚armos' pro equos, Buc. IV, 34 ‚Tiphys' pro gubernator, Geo. I, 8 ‚Epiroticum' pro Graecum, ‚Achelous' pro ‚flumen', 74 ‚farra' pro ‚frumentum', III, 255 ‚Sabellicus sus' pro quoque sue. Item III, 314. IV, 510 Philomela pro ‚avis'. Plen. I, 1 ‚oris' pro ‚terris', quod Servius synecdochen dixerit, IV, 442 ‚Boreas' pro ‚venti'.

Hypallagen[1]) Servius definivit I, 9: *‚volvere casus' id est casibus volvi. Et est figura hypallage, quae fit, quotienscumque per contrarium verba intelleguntur, ut ‚dare classibus austros', cum ventis naves demus, non navibus ventos.* Hypallagen igitur apud Servium quamcumque vocabulorum commutationem esse exemplis demonstratur: I, 392 ‚vani parentes' pro ‚vanum augurium', 518 ‚cuncti lecti navibus' pro ‚lectis navibus'. II, 64 ‚circumfusa ruit': ‚ruit et circumfusa est', 231 ‚sceleratam hastam' pro ‚sceleratus', 361 ‚lacrimis aequare labores' pro ‚laboribus aequare lacrimas'. Similiter res se habet: 387, 508, III, 61, 362, 418, 424, IV, 385, 506, 586, V, 137, 458, 480, 507, 589, VI, 100, 214, 268, 419, 559, VII, 73, 354, VIII, 73, 125, 542, IX, 453, 529, X, 113, 418, 513, 681, 785, 808, XI, 18, 212, 458, 628, XII, 66, 139, 187, 204, 219, 350, 690, Buc. III, 8, 43, IV, 44, Geo. I, 59, II, 70, 264, III, 251, IV, 546. Neque aliter plen. hypallagen usurpavit: I, 403, II, 99, 173, III, 356, X, 660, 706, XI, 476, 830, VII, 621, 739, 859, Buc. X, 55, Geo. II, 497.

---

[1]) *ypallage* libri. cf. Birt, der Hiat bei Plautus pagg. 122 sqq.

Quintil. VIII, 6, 19 hypallagen secundum Ciceronem (Orator 93) idem esse vult atque metonymiam. In carm. de fig. (rhet. Lat. min. 70) describitur ἀλλοίωσις aut ὑπαλλαγή:

Fit mutatio multimodis. Bello Africa flagrat
Afros cum dicas bellare et tempora quando
Et casus numerosque figurando variamus.

Ceteri rhetores de hypallage nihil protulerunt, similia autem exempla atque Servii invenimus Don. Hec. 307, 359.

Hec. 307, *non maximas, quae maximae sunt interdum irae iniurias faciunt'. D. (iniuriae faciunt) iras, non irae iniurias. Sed hic ,faciunt' hypallacticos dixit.'* — Similiter Serv. I, 9 *volvere casus = casibus volvi,* II, 361, III, 61, 362, IV, 385. ,Quotiens verba per contrarium intelleguntur' bene ad Donati exemplum quadrare non neges: ,maximae irae maximas iniurias faciunt' hypallacticos dictum est pro ,maximis iris maximae iniuriae fiunt' aeque ut ,casus volvere' pro ,casibus volvi' et ,lacrimis aequare labores' pro ,laboribus aequare lacrimas'. Non aliter Hec. 359 ,eis onera adiuta' pro ,ipsos onera portantes adiuta' confirmatur similibus exemplis III, 424 *,cohibet spelunca'. hypallage, nam ipsa se tenet intra speluncam,* XI, 628 *,vado labentes', hypallage pro ipse labens.* Consentit igitur cum Donato Servius in hypallages usu.

Antonomasia definitur Serv. I, 23: *,Saturnia': antonomasia est, non epitheton; quae fit, quotiens pro proprio nomine ponitur, quod potest esse cum proprio nomine et epitheto dici,* et 171: *sane ,Tritonia' antonomasivum est, quia proprium Minervae: nam epitheta sunt, quae variis possunt vel personis vel rebus adponi: et haec caute observanda sunt, sicut et propria nomina, quae plerumque ex appellativis sunt, ut est ,Victor' et ,Felix'.* Consentiunt cum his: II, 615, III, 251, IV, 276, V, 704, XI, 483.

Quintil. VIII, 6, 29: *antonomasia, quae aliquid pro nomine ponit et per epitheton, quod detracto eo, cui adponitur, valet pro nomine, ut ,Tydides', ,Pelides'.* Charis. 273, Diom. 458 sq: *Antonomasia est pronominatio, pro proprio alio*

utitur, significatio vice hominis posita, et vocabulum, quod sine nomine positum loco eius fungitur. Ducitur autem antonomasia modis tribus, ab animo, a corpore aut extrinsecus. Eadem fere Donat. 400, Beda 613. Antonomasia quomodo differat ab epitheto, Servius explicavit II, 171: antonomasivum alicui personae proprium est, epitheton cuique adponi potest. Charis. 274: *epitheton ab antonomasia hoc differt, quod antonomasia per se accidens habet, ut cum Tydides dicitur et intellegitur Diomedes, epitheton vero habet accidens, sed cum vocabulo proprio, ut ,Saturnia Iuno'.* Quod epitheton esse Servium negasse (I, 23) modo cognovimus. Diom. 459 epitheton speciem antonomasiae esse contendit. Dissensio igitur de epitheto et antonomasia videtur fuisse, neque vero dubito, quin Servius ad eundem fontem spectet atque Charisius, quoniam id quod Charisius contendit, refutat.

Metaphora. Servius VI, 1 *inmittit habenas* pro ,funes'. Plen. similiter II, 19, 629, VI, 532. Aeque ac metaphoram Servius translationem usurpavit, cuius definitio exstat I, 435: *,praesepibus' alveariis. et est translatio, quae fit, quotiens vel deest verborum proprietas vel vitatur iteratio.* II, 300 *speciosa translatio, quotiens rei mobilis ad inmobilem vel e contra transfertur officium.* Quam definitionem non totam translationem explere, sed nonnisi de hoc exemplo similibusque huius generis valere, cetera exempla docent: II, 303 *translatio ab animalibus, quoniam ad homines fiat.* IV, 513 *inter homines et herbas esse reciprocam translationem.* Multas translationes S. adnotavit: I, 239 a pecunia, 433 a navibus, V, 278, 279 ab homine, Geo. II, 277 a marmorariis etc.

Quintil. VIII, 6, 4: *Transfertur nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus aut quia necesse est aut, ut dixi, decentius.* Profert VI, 1 ut Servius. Charis. 272, Diom. 457: *metonymia est rerum*

verborumque translatio a propria significatione ad non propriam similitudinem aut cultus aut emphaseos gratia. Fit autem quattuor modis, ab animali ad animale, ab animali ad inanimale, ab inanimali ad animale, ab inanimali ad inanimale. Item Don. 399, Beda 613, quod discrimen respicit ad Quint. VIII, 6, 9. Itaque in metaphorae usu nullum rhetorem dissentire neque consentire videmus.

Allegoriam nusquam definivit S., sed ex usu exemplorum consentire eum cum Quint. VIII, 6, 44, IV, 2, 46, Mart. Capella V, 512 apparet: Buc. I prooem., 5, 28, II, 6, 73, III, 2, 71, 94, 111, V, 20, VIII, 12, IX, 23, X, 17, 31, 71, Geo. I, 36, III, 291, IV, 117. Diom. 461 allegoriae septem species enumerat: ironiam, antiphrasin, aenigma, charientismon, paroemiam, sarcasmon, astismon. Eundem in modum descripserunt Charis. 276, Don. 401, Beda 615, Donat. Eun. 426, Adel. 958, Hec. 66.

Antiphrasis. Serv. I, 22 ‚parcae, quae nulli parcant', III, 63 ‚manibus', VI, 250, 375 ‚Eumenides', 299 ‚Charon', VII, 412 ‚Ardea'. Non aliter usurpavit S. euphemismum: Geo. I, 278 ‚Eumenides', I, 704, IV, 57, Buc. VIII, 65, Geo. IV, 378.

Quintil. IX, 2, 47, VIII, 6, 57 antiphrasin ut paralipsin adhibuit aeque ac Pseudo-Rufinianus (rhet. Lat. min. Halm p. 62). Ut Servius antiphrasin Mart. Cap. IV, 360 usurpavit affertque exempla ‚Parcas, lucus, Eumenides, manes'. Charis. 276: *antiphrasis est dictio ex contrario significans, ut ‚bellum, lucus'.* Diom. 462 praeterea affert ‚Parcae'. Don. 402: *antiphrasis est ironia unius verbi, ut ‚bellum lucus Parcae',* quae exempla tritissima videntur fuisse. Beda 615, Don. And. 128 (cf. Charis. 73, 18) ‚sepulchrum', Adel. 26 ‚Storax'. Cuius exemplar hic sequatur Servius non liquet.

Ironiam adnotavit Servius IV, 93: *‚egregiam vero laudem'. Ironia est, inter quam et confessionem sola interest pronuntiatio. Et ironia est cum aliud verba, aliud continet sensus.* Item usurpavit VI, 520 *egregia interea coniunx.*

Quint. VIII, 6, 54: *In eo vero genere* (allegoria), *quo contraria ostenduntur, ironia est: inlusionem vocant. Quae aut pronuntiatione intellegitur aut personae aut rei natura: nam si qua earum verbis dissentit, apparet diversam esse orationi voluntatem.* Aquila Rom. § 7 (pag. 24): εἰρωνεία *simulatio, frequentissima apud oratores figura, ubi aliud verbis significamus, aliud re sentimus, ut Cic. pro Lig. § 1.* Non dissentiunt ab his Iul. Rufin. § 1 (pag. 38), Pseudo-Rufin. § 9 (pag. 61): *ironia non sine derisu in contrarium ludens,* ut V. IV, 93. Mart. Cap. V, 523 (pag. 478) eadem exhibet atque Aquila. Charis. 276, Diom. 462 ironiam allegoriae speciem esse comprobant proferuntque V. IV, 93, quod notissimum videtur fuisse exemplum. Item Don. 401, Beda 615. Maximam Servii verba similitudinem habere cum Aquilae (Mart. Cap.) descriptione elucet eodemque ex fonte fluxisse.

Sarcasmon Servius descripsit X, 557 *‚istic nunc'. Sarcasmos est, id est hostilis inrisio.* II, 547: *‚referas ergo haec'. sarcasmos est, iocus cum amaritudine, ut* (XII, 359) *‚en agros'.* Quintil. VIII, 6, 54 sarcasmon speciem ironiae esse vult neque vero in huius descriptione definivit. Iul. Rufin. de sentent. fig § 4 (pag. 40) non consentit neque Pseudo-Rufin. de sentent. fig. § 11, qui sarcasmon chleuasmo proximum esse dicit. Eadem atque Servius Charis. 276, Diom. 462 exhibent: *Sarcasmos est plena odio atque hostilis inrisio per figuram enuntiata,* ut XII, 359. Non alia praebet Don. 402, Beda 616. Consentit igitur Servius cum Diom.-Charis.-Don.-Beda.

Astismon Servius descripsit II, 547: *Astismos autem est urbanitas sine iracundia, ut ‚atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos'* (Buc. III, 91). Quintil. VIII, 6, 57 *ut tristia dicimus mollioribus verbis urbanitatis gratia.* Iul. Rufin. § 4 (pag. 39) ἀστεϊσμός *urbana dictio.* Charis. 276: *astismos est allegoria cum urbanitate.* Diom. 462 *astismos putatur, quidquid simplicitate rustica caret et faceta satis*

urbanitate expolitum est, species allegoriae cum urbanitate multiplex, ut est Verg. Buc. III, 91. Donat. 402, Beda 616 non dissentiunt. Servium cum Diomede ad unum exemplar spectare ex eo mihi videtur veri esse simile, quod similibus verbis descripserunt eodemque exemplo illustraverunt definitionem. Atque cum aliis locis non magni momenti esse putaverim rhetorem quendam ad illustrandam definitionem eundem Vergili locum, ad quem ipse quoque Servius vocabulum rhetoricum illud adscripsit, attulisse, hic aliter rem se habere liquet. Nam non ab exemplo Buc. III, 91 Servius definitionem deduxit sed illustravit eo insuper definitionem.

Oxymoron adnotavit Servius VII, 295 *capti potuere capi.* Apud alium non occurrit.

Hyperboles definitionem Servius nusquam praebuit. II, 501 *‚centumque nurus': aut finitus est pro infinito hyperbolicos.* III, 565 *‚ad manes imos.' hyperbole,* scilicet pro in profundum. Geo. III, 485 librarii lapsu hyperbole adnotari videtur: *‚Ossa.' etiam ossa. et per hyperbolem totum hominem significat.* Id igitur explicare vult pro toto homine partem eius ‚ossa' significari. Quod non hyperbole sed synecdoche nominatur.

Quint. VIII, 6, 67 *Hyperbole est decens veri superiectio, virtus ex diverso par, augendi et minuendi.* Iul. Rufin. (pag. 47) *Hyperbole aliis tropus videtur. Ceterum fit, cum excedit veritatem sententia.* Ut Quintilianus usurpaverunt hyperbolem Charis. 275, Diom. 461: *Hyperbole est dictio fidem veritatis excedens augendi minuendive gratia.* Don. 401, Beda 615 non dissentiunt ab hoc usu. Ita omnes parem in modum hunc tropum usurpaverunt.

Litotes. Servius I, 77: *mihi iussa capessere fas est. figura litotes, quae fit, quotienscumque minus dicimus et plus significamus per contrarium intellegentes, ut hoc loco non dicit: licet mihi implere, quae praecipis, sed nefas est non implere, quae iusseris. Item ‚munera nec sperno', id est libenter accipio.* 479 *‚non aequae' iniquae,* item V, 809, VII, 9, VIII, 299, X, 907, XI, 450, 725, XII, 143, Geo. I, 82, II, 125, III, 56, 404. Plen. non dissentit V, 39, VIII, 627.

Litotem, quam ceteri rhetores praetermiserunt, invenimus Don. Adel. 775 *‚non paenitet me famae'. Haec figura litotes dicitur: minus enim dicit quam significat.* Tum exstare illa verba pro ‚magnam famam cupide adquisierim' explicavit. Servium cum Donato ad unum exemplar respicere non negaveris, quippe qui eisdem fere verbis usi sint.

Metalempsin[1]) Servius nusquam nominavit. Plen. IX, 231 ‚trepidos' per metalempsin dici explicat pro ‚celeres', ‚celeres' pro ‚concitati'. Servius I, 165 metalempsi non nominata eius exemplum exhibet: *‚atrum nemus'. tropus est per atrum [enim] nigrum ostendit, per nigrum umbrosum, per umbrosum densum, id est frondibus plenum.* II, 256: *‚flammas cum regia puppis.' est autem tropus. per puppem navem, per navem eos qui in navi sunt, significat.*

Quintil. VIII, 6, 37 *Metalempis id est transsumptio, quae ex alio tropo in alium velut viam praestat.* Affert exempla *‚Centaurus* — Χείρων — Ἥσσων'; *‚insulae* ὀξεῖαι — θοαί'. *Est enim,* pergit, *haec in metalempsi natura, ut inter id quod transfertur et in quod transfertur sit medius quidam gradus nihil ipse significans, sed praebens transitum.* Charis. 273: *Metalempsis est dictio per gradus homonymiae ad propriam significationem descendens, ut ‚speluncis abdidit atris'. Ab atris enim nigrae intelleguntur et ex nigris tenebras habentes, et ex hoc in praeceps profundae.* — Similiter Diom. 458, Don. 400, Beda 612. Quin Charisius idem sentiat de metalempsi atque Quintilianus non dubito, quamquam hic obscuris verbis definitionem adumbravit: ‚medius enim gradus nihil ipse significans' est gradus homonymiae. Servium sua non de fonte Quintilianeo sed inde, ex quo Charisius et Diomedes hauserunt, protulisse mihi persuasum

[1]) metalemsis vel metalempsis, syllempsis codd., Thilo metalepsis, syllepsis. Codicum lectionem genuinam esse Guilelmus Schulze, Orthographica (ind. lect. Marp. a. 1894, 5) mihi persuasit.

est. Sane ille ‚tropus est' dicens metalempsin intellexit, exemplum vero ‚niger' idem est atque Charisii. Donatus cum Beda congruere videtur: Andr. 502: *‚dicas' pro credas. ab eo quod sequitur, id quod praecedit,* 533 ‚iubeo' = volo, 674 servitium pro servitute metalemptice dictum esse vult. Eun. 809 ut metonymia usurpatum est: *furtum pro omni dolo.* Beda 625: *Metalempsis est dictio gradatim pergens ad id quod ostendit et ab eo quod praecedit id quod sequitur insinuans, ut ‚labores fructuum tuorum manducabis'. ‚Labores' enim posuit pro his, quae laborando adquiruntur bonis.* Itaque secundum Bedae doctrinam medio gradu non opus est, id quod apud Donatum quoque invenimus. Neque Eun. 809 obstat, quoniam metalempsis, si id quod praecedit et sequitur, nomina sunt, proxime accedit ad metonymiam.

Periphrasin Servius descripsit I, 65: *periphrasis, id est circumlocutio.* I, 121 sola voce ‚circumlocutio' usus haec profert: *sed quod uno verbo explicare non possumus, aut circumlocutione ostendimus, aut . . .* Sed vastius Servius periphrasin inclusit, cum VII, 740 totius sententiae circumlocutionem, quae allegoria vulgo dicitur, periphrasin nominaverit. Praeter huius exempli usum consentit Servius cum Quintil. VIII, 6, 59: *Pluribus autem verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici non potest, explicatur, periphrasin vocant, circumitum quendam eloquendi, qui non numquam necessitatem habet, quotiens dictu deformia operit* et postea *quidquid enim significari brevius est et cum ornatu latius ostenditur, periphrasis est, cui nomen Latine datum non sane aptum orationis virtuti circumlocutio.* Charis. 274: *Periphrasis est oratio longa cum cultu. Fit autem aut ut brevitatem splendide producat, aut ut foeditatem circuitu devitet, ut* IV, 584, VIII, 405. Eadem fere Diom. 460, Don. 400 sq., Beda 614 exhibent. Quamquam igitur Servium a ceteris rhetoribus non dissentire vides, tamen hi enuntiata, qualia Servius VIII, 740, in periphrasis usu non amplexi sunt. Sed quaeritur, utrum ad fontem rhetoricum hunc usum

referre liceat, an Servius ipse in enuntiata periphrasin extenderit suo arbitrio. Tamen hoc nihil proficiet scire, quoniam ne tum quidem, quemnam secutus sit Servius, diiudicare poterimus. Ita in medio relinqui oportet, utrum ex libro quem supra dicebam rhetorico illud duxerit Servius an ipse suopte ingenio invenerit.

Sed tropos nunc relinquamus et figuris animos advertamus, atque primum quidem verborum, deinde sententiarum figuris.

Ellipsis. Servius hanc figuram descripsit I, 65: *parenthesis est, quotiens remota de medio sententia integer sermo perdurat; plenum namque est ‚Aeole incute vim ventis', item ‚Aeneas rapidum ad naves praemittit Achatem', ellipsis autem est, quotiens remotis interpositis deest aliquid, ut ‚quos ego — post mihi non simili poena.' deest enim ‚adfligam'.* 371: *‚imoque trahens a pectore vocem'. deest ‚dixit'. et quotiens longe respondet, parenthesis est, quotiens nusquam, ellipsis dicitur, ut hoc loco.* Plen. I, 135 *quos ego —*, quod exemplum Servium ellipsin dicere modo cognovimus, aposiopesin nominavit, ut plerique rhetores. De loco IX, 93 infra sermo erit.

Quintil. VIII, 6, 21 refutat eos, qui ellipsin vitium esse putant eamque in figurarum numero mavult habere: *Aliud intellegitur ex alio: ‚Aspice aratra iugo referunt suspensa iuvenci', unde apparet noctem appropinquare.* Aeque res se habet plen. IX, 93 nam utroque loco non de verborum defectione agitur, sed in narratione aliquid ex antea dictis subaudiendum esse docemur. Itaque non verborum sed sententiarum figurarum gregi haec aggreganda sunt. Aquila Rom. § 46 ellipsis = detractio, Mart. Cap. V, 537, Charis. 271, Diom. 480 (in vitiorum numero) *ellipsis est unius vocis defectio.* Non aliter Don. 395. Servium ellipsin in figurarum numero habere inde sequi mihi videtur, quod eam parenthesi contraposuit, quae vulgo figura existimatur. Neque

aliter sentio de Donato, qui ellipsin figuram esse suis verbis confirmavit Andr. 232, 285: *figurae proprie Terentianae, asyndeton et ellipsis.* Ceterum Servius ellipsin angustius inclusit quam Donatus neque cum eo consentit. D. Eun. 65: ‚quos ego —' aposiopesin nominavit, ut plen., quam Servius ellipsin esse vult. Parem in modum atque Servius usurpavit Ph. 38 *ellipsis prima,* 191. Alia ellipsis species esse videtur aposiopesis: Andr. 469, 886, ubi Donatus *ellipsis per aposiopesin* adnotavit. Huc pertinent: Andr. 635, Eun. 65, 479, 849, Adel. 153, 330. Nonnulla exempla figurae quam dicimus ἀπὸ κοινοῦ ellipses vocantur: Andr. 57, Eun. 133, 279, Adel. 277; plerumque vero unius vel plurium verborum defectio eodem nomine ellipsis audit. Sunt enim locutiones quaedam in sermonis cottidiani usu nimis tritae, in quibus commoditatis causa unum vel pluria verba opprimuntur: Andr. 120, 361, 468, 817, Eun. 143, 171; Ph. 78 proverbium ellipsis dicitur. Figurae exclamationis, in qua semper fere abbreviate sermocinamur, exempla ellipses vocantur: Andr. 609, Adel. 758; Eun. 44 syncope ellipsis dicitur. Consentire igitur Servium cum Charisio-Diomede statuemus, sed ellipsin ab eo in figurarum numero haberi.

Aposiopesin Servius adnotavit II, 100 *nec requievit enim donec Calchante ministro — sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo.* Plen. I, 135, II, 101 ut supra Servius. Servium locos II, 100 et I, 135, ubi ellipsin adnotavit, eundem in modum usurpavisse per se patet: utroque enim loco in medio enuntiato oratio supprimitur et ad aliud transitur. Itaque Servium aposiopesin ut ellipsis speciem adhibuisse accipiendum est, ita ut quaeque aposiopesis ellipsis quoque dici possit. Donatum eadem ratione ellipsin usurpavisse modo exponere studui, nisi quod plura eius notione amplexus est. Certum saltem est Servium hoc loco Donati commentarium Vergilianum non adhibuisse, Donatum enim V. I, 135 aposiopesi adscripsisse ex Eun. 65 apparet. Immo mirum arbitror Servium ellipsin esse dicere quam

aposiopesin putandam esse inter omnes grammaticos constabat. Eoque demonstrari mihi videtur Servium non catervam explicatorum sequi sed neglectis ceterorum opinionibus quid ipse sentiat proferre.

Non dissentiunt a Servii usu: Quint. IX, 2, 54, qui profert I, 135, Aquila Rom. § 5 et ipse afferens I, 135, Isidorus de rhetorica (rhet. Lat. min. Halm 521). Donatus aposiopesin tribus modis fieri Andr. 790 explicavit, quam rem si nunc vellem perscrutari, latius ab incepto meo aberrare coactus essem. Itaque infra de hac re referam (cf. caput III: Donatea).

Hendiadyoin Servius attulit III, 407 *hamis auroque* = hamis aureis, V, 410 *caestus et arma,* VII, 15 *gemitus iraeque,* IX, 601 *gelu et undis,* X, 754 *iaculo et sagitta,* Geo. II, 192 *pateris et auro.* Plen. II, 627, III, 148, XI, 22, 571. Haec figura nonnisi apud Servium invenitur.

Hyperbaton Servius descripsit III, 662 *‚tetigit fluctus et ad aequora venit' hyperbaton in sensu, ut* VIII, 125 *‚progressi subeunt luco fluviumque relinquunt'.* Non aliter usurpatum est VII, 346 *‚huic dea . . conicit inque sinum praecordia ad intuma subdit.' figura hyperbaton, namque talis est ordo: huic dea in sinum conicit et usque ad intima subdit praecordia.* Hyperbaton Servius, quamquam nomen non posuit, tamen sensisse videtur I, 1: *‚arma virumque.' figura usitata, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus. Nam prius de erroribus Aeneae dixit, post de bello.* Aeque Servium hunc locum descripsisse et usurpasse atque III, 662 et IV, 346 non negaveris. Neque aliter hysteroproteron adhibuit III, 300 *progredior portu classes et litora linquens.* Itaque hysteroproteron hyperbati speciem esse apparet. Aliud hyperbati genus exstat XII, 161 *‚interea reges, ingenti mole Latinus quadriiugo vehitur curru, cui tempora . . cingunt, . . bigis it Turnus in albis, hinc pater Aeneas . ., et iuxta Ascanius, . . procedunt castris'. Longum hyperbaton est, nam ordo ‚interea reges castris procedunt'.*

Ordini quem proposuit sibi poeta non respondit, neque vero commutando sed interponendo verba. Buc. I, 19 Tityrus priusquam ad id quod Meliboeus interrogaverat respondit, longis ambagibus locum descripsit, ubi Caesarem vidisset. Servius: *est autem longum hyperbaton: ,urbem quam dicunt Romam* (v. 19) . . *hic illum vidi, Meliboee'* (43).

Huc pertinet **hirmos,** V. VI, 66: *Phoebe gravis Troia semper miserate labores* (v. 56) . . . *vos quoque Pergameae iam fas est parcere genti, di deaeque omnes, quibus* (63) . . ., *tuque . . . da (non indebita posco . . .) Latio considere Teucros.* Servius: *est autem hirmos, id est longissimum hyperbaton.* 703 *,interea videt Aeneas.' hyperbaton est, id est unus sensus protentus per multos versus, in quo tractat de Platonis dogmate.* Hic igitur hirmon esse vult digressionem factam in narratione. Anchises enim Aeneae filio quae fata animarum sint exponit. Cum illud exemplum simile sit loco XII, 161, hoc eundem in modum usurpavit Servius atque Buc. I, 19. Plen. attulit hyperbaton I, 1, ubi Servium hyperbaton sensisse antea exposui, et XII, 161: *hyperbaton, i. e. pendens sensus, qui postea redditur.* Locos VIII, 5, Geo. II, 238 similiter plen. usurpavit ut Serv. VI, 66.

Quint. VIII, 6, 62 hyperbaton verbi transgressionem nominat eiusque speciem anastrophen. Proprie autem hyperbaton putari, cum decoris gratia traiciatur verbum longius; attulit exemplum *animadverti orationem in duas divisam esse partes.* Tertiam ibi speciem affert tmesin. IX, 2, 46: *Sine dubio erit omne, quod non cludit, hyperbaton.* Carm. de fig. 69: *Transcensus porro est, cum intersita pendula claudo.* Charis. 275 *Hyperbaton est dictio diducta verbis non suo loco positis.* Species affert quattuor, anastrophen, diacopen, dialysin, synchysin: *anastrophe est duorum verborum ordo mutatus nullo interposito, ut ,transtra per et remos', diacope est diductio compositae dictionis interposito extrinsecus verbo, ut ,septem subiecta trioni', dialysis est, cum ordo orationis interposita sententia diducitur, ut ,tum socios, namque tegebat . ., hortatur ovantes'; synchysis est hyperbaton obscurum, ut* I, 108. Diom. 460 eadem fere dicens quinque species exhibet, anastrophen, diacopen, vel ut quidam tmesin, dialysin sive parenthesin, synchysin, hysterologiam: *hysterologia est vel hysteroproteron, cum id quod primum esse debet secundo ponitur loco, sensuum ordo praeposterus †, postredditur, ut ,postera Phoebea lustrabat lampade terras', item ,et torrere parant flammis'.* Don. 401 exempla affert *septem subiecta trioni* et *saxo cere comminuit brum.*

Servii descriptionem accedere videmus ad Charisii: ,non suo loco positis', cum quae in plen. extat hyperbati definitio ,pendens sensus, qui postea redditur', proxima sit Diomedis hysteroprotero, quamquam hic locus nonnisi corruptus exstat: sensuum ordo praeposterus † postredditur.

Hirmos. Charis. 282: *Hirmos est oratio unius tenorem casus ad clausulam usque custodiens, ut ,principio caelum ac terras camposque . . . lucentemque globum . . intus alit'.* Non aliter Diom. 447, Don. 398, Beda 611. Sane hi idem sentiunt atque S., qui cum hirmon una cum hyperbato descripserit atque coniunxerit, num ad eundem fontem recurrat atque illi diiudicare nolo.

Ad ea nunc vocabula nos convertamus, quae Charis., Diom. species hyperbati esse contendunt.

Tmesin eodem fere modo descripsit S. iisdemque exemplis usus est atque D.. I, 412 *,circum dea fudit.' figura est tmesis, quae fit, cum secto uno sermone aliquid interponimus, ut ,septem subiecit trioni', . . et ,saxo cere comminuit brum'.* Don. 401: *Tmesis est unius compositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interiectis, ut ,septem s. t.' et ,saxo c. c. b.'.* Adde Serv. II, 642 *satis superque vidimus,* V, 440 *sedet circum castella,* 603 *hac celebrata tenus,* VI, 342 *sub aequore mersit,* VII, 24, *praeter vada fervida vexit,* 104 *circum late volitans,* X, 794 *inque ligatus* (tmesis cum hysterologia), Geo. III, 381 *septem s. tr.*

Hysterologiam S. usurpavit ut anastrophen, quam ipse non protulit. II, 162 ,*Tydides sed enim*': *hysteroproteron est . nam est hysterologia unius sermonis, ut* (V, 663) ,*transtra per et remos*', quam Diomedes anastrophen nominavit. I, 307 ,*quas vento accesserit*': *diximus superius figuram fieri, cum praepositio detracta nomini verbo copulatur, et plerumque eam suam retinere naturam, plerumque convertere. hoc igitur sciendum est, quia cum casum suum retinet, hysterologia est, ut ,Cumarum adlabitur oris'. ,oris' enim pro ,oras' posuit. Plerumque tamen etiam superfluas ponunt praepositiones.* Ex loco II, 162 apparere mihi videtur Servium hysterologiam hysteroproteri speciem esse putare. Aliter illud ,hysteroproteron est, nam . .' quomodo explicem non habeo. Si enim rem quandam et hoc et illud esse contendo, aut alterum contineri debet altero aut esse idem. I, 388 *adveneris urbem*, VI, 171 *cava dum personat aequora concha*, X, 794 *inque ligatus*, 845 *corpore inhaeret*, II, 731 *subito cum* hysterologias adnotavit Servius. Ad IX, 813 *ille suo cum gurgite flavo* quod Servius protulit non ita perspicuum mihi esse confiteor, nisi quod hysterologiam unius verbi agnosci opinor: ,suo cum' pro ,cum suo'. Ita hysterologiam Servium eo tantum significatu, quem habet anastrophe, usurpasse arbitror, cum loci, quibus hysterologia memoratur, ubi priora et posteriora commutantur, nonnisi pleniore contineantur commentario. Plen. II, 11 hysterologiam affert: *prius est, ut laborem, post Aeneae casus cognoscat.* Eundem in modum usurpata sunt: IV, 14, XI, 191, Buc. VI, 42, Geo. I, 267. IV, 33 *nec dulcis natos Veneris nec praemia noris.* Plen.: *Hysterologia, nam per Veneris praemia proveniunt nati.* Veneris igitur praemia, i. e. concubitus, prius fieri quam partum dicere vult.

Hysteroproteron Servius profert I, 78 ,*Iovemque concilias*': *hysteroproteron in sensu, non enim Iuppiter conciliatur Aeolo, sed Aeolus Iovi, quasi superiori.* Hic id, quod prius est, non ad tempus sed ad ordinem refertur. I, 179 Servius

eos refellit, qui huius loci figuram hysteroproteron volunt esse ratos Cererem ante siccari debuisse, tum corrumpi posse, unde quid hysteroproteron velit esse Servius plane elucet. Parem in modum adhibuit: I, 264, III, 300, 589, IV, 7, 130, VII, 813, VIII, 85, IX, 562, X, 256, Geo. I, 278, Geo. III, 60. Huic figurae quomodo inseram locos Buc. VI, 74, Aen. VI, 723 nescio. Buc. VI, 74 de Scyllis sermo est, de quibus duae exstant fabulae: *aut certe sit hysteroproteron, ut quasi utriusque fabulae videatur facere commemorationem, ut intellegamus ,quid loquar Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est'.* Utrum hic hysteroproteron dixerit, quia altera Scylla maior esset natu an alia de causa, diiudicare non possum. Aen. VI, 723 Anchises Aeneae interroganti respondet: *dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo.* Tum sequitur: *suscipit Anchises atque ordine singula pandit: Principio caelum . . .* Initium igitur orationis Vergilius ab ipsa oratione uno versu interiecto, quo loqui incipere Anchisem indicatur, segregavit. Quod Servius hysteroproteron dixit: *post hunc versum sequi debuit ,dicam equidem'.*

Pleniorem commentarium hysterologiam et hysteroproteron confudisse iam antea dixi: IV, 588 *vacuos sensit sine remige portus* usurpatum est ut Servii hysterologia (= anastrophe). VIII, 227 ,*fultosque emuniit*'. *hysteroproteron . fulsit, ut muniti essent et emuniit.* Hoc loco non hysteroproteron sed hypallagen esse perspicuum est, quod cod. T exhibet: *hysteroproteron vel hypallage.* Similiter enim dictum est II, 64 ,*circumfusa ruit*': *figura hypallage, ruit et circumfusa est,* et V, 480 ,*effractoque inlisit in ossa cerebro*'. *hypallage: effregit ossa et inlisit in cerebrum.* Ut Servius usurpavit plen. hysteroproteron X, 314, ubi *apertum* posterius esse quam *aperire* vult, VIII, 593, X, 140, II, 134, 353, VIII, 201, 611, Geo. I, 267. Aen. IX, 70: cupere enim aliquam rem prius est quam ipsa res. Non rationis sed arbitrii esse existimo, si plen. id quoque hysteroproteron dicit, quod narratio de Saturno, quae propria tertii libri erat, postea demum pro-

fertur: IX, 83; item si in descriptione itineris non omnia exsecutus est poeta, et quod dici poterat neque debebat, hysteroproteron nominatur: XI, 243. Servius igitur unicum hysterologiae et hysteroproteri usum praebet neque consentit cum Diomede, qui has figuras parem in modum usurpavit.

Synchysis adnotatur II, 348 *‚iuvenes fortissima frustra pectora'. ordo talis est: iuvenes, fortissima pectora, frustra succurritis, . . . obscuritatem autem facit hoc loco et synchysis, i. e. hyperbati longa confusio.* Diom. 461 *Synchysis est hyperbaton obscurum, hoc est ex omni parte confusum.* Charis. 275, Don. 401, Beda 614 eadem fere exhibent. Quin Servius ad eundem fontem recurrat atque Diomedes non dubito.

Parenthesis. Servius I, 65 quomodo parenthesis ab ellipsi differat exposuit: *‚Aeole incute vim ventis'. ordo ipse est, et est figura parenthesis. Inter parenthesin et ellipsin hoc interest, quod parenthesis est, quotiens remota de medio sententia integer sermo perdurat. Plenum namque est ‚Aeole incute vim ventis', item ‚Aeneas rapidum ad naves praemittit Achatem' . .; 371 quotiens longe respondet, parenthesis est, quotiens nusquam, ellipsis, ut hoc loco.* Secundum hanc definitionem adhibuit I, 308, III, 39, 362, IV, 105, VI, 317, VII, 73, IX, 793, X, 608, XI, 7, 509, XII, 161, 206, 798, Buc. I, 31, Geo. I, 36, III, 513. Non aliter plen. usurpavit II, 77, III, 415, VIII, 252, 400, 688, IX, 352, 694, X, 19, 217, 614, XI, 348, 636, 739, 901. Non dissentiunt Rutil. Lupus I, 17, Quint. IX, 3, 23, Pseudo-Rufin. de fig. verb. § 12, Diom. 460, Charis. 275, Beda 614, Don. 401. Ita de Servii exemplari nihil dici potest.

Iam hoc loco paululum consistere liceat. Hyperbaton eiusque species Servius eundem in modum intellexit atque Diomedes. Hyperbati definitionem inesse in I, 1 verisimile reddidisse me confido: ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus. In hyberbato igitur de ordine agitur. In tmesi ordini non respondemus, nam interponitur aliquid

(I, 412). In hysterologia verba, in hysteroprotero res commutantur. Synchysis est hyperbati longa confusio (II, 348), in parenthesi denique sententia interposita ordo neglegitur. Neque vero cum Diomede ubique consentit Servius, velut de hysterologia et hysteroprotero. Praeterea exhibet Servius hirmon, quem Diomedes alio loco descripsit.

Homoeoteleuton Servius usurpavit, ubi deinceps plura verba similem finem habent. Loci, quibus Vergilius homoeoteleuton vitavit, sunt hi: I, 30 *inmitis Achilli,* II, 56 *staret-maneres,* III, 663 *fluidum cruorem,* V, 391 *urbis-magister,* X, 571 *quadriiugis in equos,* XI, 464 *Voluse, edice Messapus,* XII, 781 *luctans-moratus,* Buc. III, 1 *cuium pecus,* Geo. III, 539 *timidi dammae,* quibus homoeoteleuton admisit IX, 606 *terga fatigamus hasta,* XII, 341 *Sthenelum Thamyrumque.* Plen. I, 220 *acris Oronti,* II, 745 *hominumque deorumque,* IV, 588 *vocemque caloremque,* VIII, 545 *Euandrus pariter,* XI, 112 *nec veni nisi dedissent,* Buc V, 38 *purpureo narcisso,* VIII, 21 *timidi dammae.*

Rutil. Lupus II, 14: *Homoeoteleuton non eundem casum habet et sonum vocis.* Id enim homoeoptoton antea vocavit. Quint. IX, 3, 77 homoeoteleuton similem duarum sententiarum vel plurium finem dicit eiusque complures species enumerans homoeoteleuton vocat, quod in eosdem casus cadit. Servii homoeoteleuton non semper eosdem casus habere antea vidimus: II, 56, XII, 781, Buc. III, 1. Potius eum cum Aquila Romano (§ 26) consentire apparet: *Homoeoteleuton, simile determinatione, differt a superiore* (homoeoptoto), *quod illud quidem et casu et sono simili verba membrorum determinat: hoc vero non solum casu similitudine sed cuiuscumque verbi atque enuntiationis contentum est.* Eadem Mart. Cap. V, 532.

Zeugma definivit S. IV, 260 *‚nec iam amplius armis . .' subaudis usi sunt, quod plerumque fit, ut ei per omnia sufficiat sermo, ut* (359) *‚Troiugena, interpres divum, qui . . . qui . . .'* Plerumque aliud verbum subauditur, ut hoc loco, et XII, 435 *disce puer.* I, 120 *iam validam Ilionei navem,*

iam fortis Achati et qua vectus Abas et qua grandaevus Aletes, vicit hiemps. II, 503 *quinquaginta illi thalami, spes ampla nepotum, barbarico postes auro spolioque superbi procubuere.* III, 359 vide supra. In his exemplis verbum finitum quoddam ad multas notiones pertinens semel modo ponitur. Idem de aliis vocibus fit: I, 502 *instans operi regnisque,* III, 133 *muros optatae molior urbis Pergameamque voco,* V, 111 *sacri tripodes viridesque coronae et palmae pretium victoribus armaque et ostro perfusae vestes argenti aurique talenta;* XII, 576 *scala improviso subitusque apparuit ignis* usurpavit Servius ut I, 144 *Cymothoe simul et Triton adnixus.* Ut I, 120, II, 503 usurpata est syllempsis II, 321: *Panthus . . sacra manu victorque deos parvomque nepotem ipse trahit.* Ut III, 133 adhibuit syllempsin per casus, XII, 576 ut syllempsin per genera et numeros.

Cum his comparemus ea quae Servius de ipsa **syllempsi** adnotavit I, 573: *,urbem quam statuo vestra est'. Multi antiptosin volunt, ut sit pro ,urbs'. Sed si sic intellegamus, ,quam' nihilominus sequitur et syllempsis fit per casus mutationem. Debuit enim dicere ,urbs quae statuitur, vestra est'.* IX, 60: *nulla enim syllempsis, quae non casum mutet et egeat subauditione, ut* IX, 285. IX, 523 *,vos o Calliope precor'. syllempsis per numeros . erat enim rectum, vos musae et te Calliope'.* X, 31 *,sine pace tua atque invito numine'. syllempsis per genus est.* Item 672 *,quid manus illa virum, qui me meaque arma secuti'. syllempsis per genus,* IX, 60 *,noctu super media'. ultra mediam noctem . syllempsis, hoc est ,nocte media et super eam'.* IX, 285, ubi pro ,huius pericli, quodcumque periclum est' exstat ,huius quodcumque pericli est', syllempsin adnotavit. Excidit ex hoc syllempsis usu II, 321, quod duplicem mihi movit suspicionem, primum quod repugnat definitioni IX, 60, *nulla est syllempsis, quae non casum mutet,* tum vero quia numerus adscriptus est ,septima'. Sed ipsum locum adeamus. *,Panthus . . sacra*

manu victosque deos parvomque nepotem ipse trahit'. septima syllempsis. ,trahit' enim licet nepotis tantum sit, tamen et superiora concludit. Quod ut zeugma usurpatum esse antea memoravi. Ex Servii verbis IX, 60 apparere mihi videtur eum syllempsin per casus, numeros, genera dicere. In his enim finem mutare vocum, quae concipiuntur, coacti sumus. Itaque hae tres species genuinae ipsi fonti, unde Servius hausit, mihi videntur deberi. Syllempsin contra ipsam speciem zeugmatis a Servio existimari mihi persuasi, ita ut syllempsis exempla etiam zeugma nominari possint (III, 133, XII, 576) neque vero versa vice. In his enim exemplis id quod pag. 44 dixi valet. Quid vero nunc syllempsis septima II, 321? Nonnisi hoc loco et IX, 452 Servius species figurarum numeris adiectis indicavit. Quod aut sic explicari potest, ut Servius non respiciens suam ipsius artis rhetoricae doctrinam ex commentario quodam numeros hausisse dicendus sit, cuius auctor nimirum aliam atque Servius secutus est disciplinam rhetoricam, aut ita, ut ab interpolatore postea additi sint. Posterius hoc haud ausim contendere, quia necesse id fuisse quomodo demonstrem non habeo in promptu. Itaque hoc Laemmerhirtio concedere cogor fieri potuisse, ut Servius praeter adnotationes rhetoricas ex sua artis rhetoricae doctrina haustas etiam nonnullas de alio fonte adsperserit. Quod mihi etiam in antapodosin decimam IX, 452 cadere videtur. Illud enim iam per se vix verisimile videatur esse Servium ipsum in ingenti copia exemplorum quae tractavit nonnisi bis adiecisse numeros. Accedit vero, quod numeri illi permagni suspicionem movent. Mirum enim esset, si antapodosis decem species haberet neque ullus rhetor de variabili natura huius figurae verba fecisset; quin etiam absurdum casum putarem, si duo antapodosis exempla, quae sola memorantur, IX, 452 et Don. Adel. 392, ad decimam antapodosin pertinerent. Parem enim in modum haec adhibita esse exempla infra demonstrabo. Neque aliud dixerim de ,septima'. Donatus tres

syllempsis species exhibet. Quamquam in Servii quidem syllempsin speciem septimam non quadrare antea satis mihi demonstravisse videor, tamen omnino non tot species exstitisse contendere nolo. — Plen. zeugma adnotavit I, 144 *Cymothoe simul,* quod Servius XII, 576 syllempsin per numeros et genera nominavit. Ut Servii exempla I, 502, III, 133 usurpavit VIII, 717, ut I, 120 locum IX, 530, ut syllempsin per casus XII, 316.

Plen. syllempsin per numeros I, 583 profert, IX, 636 *acies urbemque,* X, 605 *relinquunt Ascanius puer et obsessa iuventus,* ut Servii zeugma I, 502: V, 108. Geo. III, 115 duo nomina uni subiunguntur verbo finito, quod solum alterius proprium est.

Nunc quid ceteri de **zeugmate** sentiant rhetores inquiramus. Quint. IX, 3, 62 zeugma ἐπεζευγμένον nominat, *in quo unum ad verbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaque desideraret illud, si sola poneretur.* Quod aut proposito aut inlato aut in medium posito verbo fieri. *Jungit autem et diversos sexus, ut cum marem feminamque ,filios' dicimus et singularia pluralibus miscet.* Quintiliani igitur zeugma et zeugma et syllempsin Servii amplectitur. Aquila Rom. § 44 ὑπεζευγμένον dicit, *cum plura verba in uno coniungimus.* Pseudo-Rufin. (p. 48) zeugma vocat, *cum unum verbum communiter multis sententiis iungitur ad omnes pari significatione pertinens et adnexum, ut ,Aeneas urbe et sociis et classe relicta'.* Charis. 280: *zeugma est, cum plures sententiae uno verbo cluduntur, ut* III, 359. Diom. 444 non aliter de verbo finito semel posito zeugma esse dicit affertque III, 359. Donat. 397: *unius verbi conclusio diversis clausulis apte coniuncta, ut* III, 359.

Syllempsis. Pseudo-Rufin. (p. 48) syllempsin usurpavit, cum uno verbo finito plures sententiae cluduntur (ut Donati zeugma). Pseudo-Rufinianus id quod S. syllempsin per casus et per numeros nominavit, in libro de schem. lex. § 33 figuram per personas dixit: *Vos o Calliope precor,* et

figuram per numeros, *ut si quis diceret ,populus secuti sunt'.* Cum in Quintiliani zeugmate (Servii syllempsi) ,figura per casus' deesset, hic syllempsin per genera neglexit. Charis. 281 syllempsis per numeros modo protulit, item Diom. 444, Don. 397. Quintilianus zeugma nominat et ubi plures notiones vel enuntiata uni verbo finito subiunguntur et ubi plures numeri et diversa genera in unum coalescunt, idem syllempsis mentionem non facit. Post hunc vero disciplina excolitur. Iam apud Pseudo-Rufinianum secundum illud Quintiliani genus propria descriptione florere videmus: figura per casus et per numeros. Sed ipsum nomen etiam tum abest. Charisium primum syllempsin hanc speciem nominare videmus: iam igitur zeugma et syllempsis segregata sunt. Quodsi Donati commentum Terenti integrum nobis servatum esset, demonstrare susciperem Donatum illas tres quae ratione postulantur species: per casus, numeros, genera revera exhibuisse, ceteros igitur nonnisi partem syllempsis amplexos esse. Nunc vero valde corruptum esse commentarium moneo et id ipsum infra explanabo.

Pleniore solum commentario continentur **antitheton, epanalempsis, polysyndeton.** Geo. I, 514 *fertur equis auriga neque audit currus habenas.* Plen.: *antithesis*[1]) *tertia, ubi in utraque voce fit commutatio . sic enim rectum sit: ,fertur curru auriga neque audiunt equi habenas'.* De voce ,tertia' idem valet, quod de ,syllempsis septima' exposui. Neque alienum id est a plenioris commentarii auctore, qui ex aliis commentariis rem supplevisse satis habebat. Recte Thilo mihi cognovisse videtur hoc loco non de antitheto, i. e. contrapositione, agi sed de commutatione. Antitheton enim semper contrapositio est: Rutil. Lupus de fig. verbor. II, 16, Quint. IX, 3, 81, Aquila Rom. § 22, Mart. Cap. V, 531. Itaque Thilo respiciens ad Diom. 442, 28 coniecit Geo. I, 514 scribendum esse *antithesis,* quo Diomedis loco ostenditur ,antithesis voce ita usos esse grammaticos, ut commutationem significaret'.

[1]) antitheton V, corr. Thilo.

4*

Quamquam vero antithesis occurrit inter vocabula rhetorica estque usurpatum ut antitheton (Iul. Rufin. 37, Pseudo-Rufin. 13), tamen loco a Thilone allato non de rhetorica commutatione sermonem esse liquet sed de grammatica. Neque vero equidem dubito, quin voce ‚antithesis' non modo litterarum, ut Diom. 442, sed etiam verborum commutatio significari potuerit. Simile enim est in parenthesi Charis. 278, 8, quam et figuram verborum esse constat, praeterea autem usurpatur, *cum inter primam et ultimam syllabam aut littera adicitur aut syllaba.* Quod vero nusquam alibi hunc antithesis usum invenimus, id ipsum ad rhetoricum enchiridion illud amissum, quod suppono, vel ad arbitrium auctoris plen. referendum mihi videtur esse. XII, 139 consentit cum vulgari antithesis usu.

Epanalempsin plen. IX, 394 adnotavit: *audit equos, audit strepitus.* Quosdam repetitionem non figuram epanalempsin sed emphasin putare dicit. Ex his plenioris auctorem comm. non aliter de epanalempsi sentire apparet atque ceteros rhetores Rutilium Lupum I, 11, Aquilam 831, Mart. Cap. V, 533.

Polysyndeton plen. IX, 634 adnotat *‚armaque corporaque'. versus polysyndetos.* Secundum usum vulgarem id adhibuit: Quint. IX, 3, 51.

Ad sententiarum figuras transeuntes primum tractemus **paralipsin.** Servius ad VIII, 483 *‚quid memorem infandas caedes': figura oratoria, quae paralipsis vocatur. Cicero ‚nam illa nimis antiqua praetereo'.* Quint. VIII, 6, 57 eam figuram antiphrasin vocavit, item Pseudo-Rufin. p. 62, qui exhibet V. VIII, 483. Aquila Rom. § 8, Mart. Cap. V, 523: *paralipsis est, cum quasi praetermittentes aliquid nihilominus dicimus.* Charis. 284 *schema dianoeas fit per has species XV . . ., per paralipsin, [in quo] volumus negantes aliquid indicare, tamquam ‚non commemoro, quod draconis saevi . . .'* Servius igitur congruit cum Aquila Rom. (Mart.

Cap.) et Charisio, cum reliqui omnino alio vocabulo hanc figuram descripserint.

Apostropha usurpatur a Servio, cum in narratione hominem vel rem, velutsi adsint, adfatur poeta: II, 56 de Laocoonte sermo est, qui Troianos ne equo a Graecis relicto credant monet: *et si fata deum, si mens non laeva fuisset, inpulerat ferro Argolicas foedare latebras, Troiaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.* V, 123 in narratione poeta Cluentum alloquitur: *Scyllaque Cloanthus caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.* Geo. I, 215 Medicam, herbam quandam, Vergilius adfatus est: *tum te quoque, Medica, putres accipiunt.* Plen. Buc. VII, 24 nunc legimus *pendebit;* sed plenioris comm. auctorem in textu ‚pendebis' invenisse inde sequi mihi videtur, quod dicit *et apostropham fecit.* cod. γ1 fortasse ‚pendebis' exhibere Ribbeckius adnotat in apparatu critico.

Quint. IX, 2, 38 de apostropha, quae ad genus iudiciale pertinet, loquitur, sed IX, 3, 24: *non sensum mutat verum formam eloquendi.* Aquila Rom § 9: *apostropha est vel aversio, ubi quae ad alios dicta volumus, ad alios dicere videmur.* Mart. Cap. V, 523. Apud Donatum Eun. 790, Hec. 148, 325, Phorm. 207 personas solum alloqui Terentium videmus. Ceterum de apostropha omnes consentiunt.

Antapodosis. Servius ad IX, 452 *Serranoque Numaeque* adnotat: *decima antapodosis, quae fit, quotiens commemorantur ea, quae non sunt ante praedicta.* Apud rhetores haec figura non invenitur nisi apud Quint. VIII, 3, 77, ubi de parabola verba fecit, in qua aut similitudo praecedat, res sequatur aut versa vice. *Sed interim,* pergit, *libera et separata est, interim, quod longe optimum est, cum re, cuius est imago, conectitur, conlatione invicem respondente, quod facit redditio contraria, quae antapodosis dicitur.* Neque Quintilianus consentit cum Servio neque Isidorus de rhet. 518 Halm: *Antapodosis, quotiens media primis et ultimis conveniunt: ‚Vestrum iam hoc fac-*

tum reprehendo, patres conscripti, non meum, ac pulcherrimum quidem factum, verum, ut dicam, non meum sed vestrum'. Antapodosis quam Servius dicit vestigia apud Donatum me invenisse opinor: Adel. 392 *nimium inter vos.* Syrus hoc loco magnum discrimen inter Micionem et Demeam interesse explicat. Quod ita esse quamquam nondum dictum est, tamen antea ostendit nobis poeta senes quomodo differrent producendo eos in scaenam sermocinantes litigantesque. Donat. ad l. c.: (*** codd.) *nunc enim redditum est, quod supra debebatur* (31 sqq.). Verba post lacunam exstantia explicationem eius enuntiati quod antecesserat continuisse voce ‚enim' demonstratur. Lindenbrogius vir doctus coniecit ‚epanorthosis' supplendum esse, quod tamen huc non quadrat: epanorthosis enim est, id quod ipsa vocis origine docemur, correctio supra dicti (Andr. 190). Ego ‚antapodosis' supplere malim. Nam ‚redditur quod supra debebatur' idem est atque ‚quotiens commemorantur, quae non sunt ante praedicta', nisi quod illud moraliter expressum est, hoc ex re iudicatum. Hec. 43 Lindenbrogius supplevit ‚antapodosis', ubi codd. lacunam exhibent: *Nunc turba non est.* Donatus ad l.: *‚Tumultuantur'* (41) *hic refellitur et corrigitur verbis ‚nunc turba non est'.* Quam non esse antapodosin sed epanorthosin antea explanavi.

Iam pauca restant vocabula, quae ampliore solum commentario continentur:

Epidiorthosis X, 302: *et sedere carinae omnes innocuae, sed non puppis tua, Tarchon.* Plen. ad loc. c adnotat: *prosphonesis et epidiorthosis.* Haec eadem est figura ac Donati epanorthosis Andr. 190: *dehinc postulo* Simo cum dixerit, statim se corrigit dicens *sive aequomst te oro.* Hic quoque *omnes* corrigitur, nam debuit dicere ‚omnes excepta tua'.

Obiectio, quam alii anthypophoram Graeco nomine nominaverunt, exstat IX, 138: *sed periisse semel satis est,*

scilicet ‚dixerit quispiam'. Pseudo-Rufin. § 4 de fig. sent.: *anthypophora est figura sententiae, qua adversariorum nobis sententias ac dicta proponimus ac substituimus in hoc tantum, ut illis respondeamus: ‚Verum anceps pugnae fuerat fortuna. Fuisset', et ‚periisse satis semel est. Peccare fuisset ante satis'.* Itaque consentit plen. cum Pseudo-Rufiniano neque dissentit a Mart. Cap. V, 563 *hypophora est intentio adversae partis, anthyphora responsio eius.*

His peractis iam ad Servium ipsum redeamus atque nonnulla alia artis rhetoricae vocabula pertractemus: emphasin, cacenphaton, cacosyntheton, tapinosin.

Emphasis exstat II, 643 *satis una superque vidimus excidia* (Troiae). Servius: *emphaticos dixit ‚excidia'.* 657 *‚mene': probatae pietatis filium. nam pronomina habent vim suam, nonnumquam et emphasin, ut ‚cantando tu illum'?* III, 201 *‚ipse'. navigandi peritus. hoc enim significat emphasis pronominis.* Ex hoc emphasin esse demonstratur, cum plus sentitur verbis quam exprimitur. Sic usurpata sunt IV, 103, V, 12, IX, 596, X, 13, XI, 243, 633, 687, Geo. I, 148. Idem sensit plen. IV, 408: *plus enim est in re quam in verbis. quamvis enim totum dictum non sit, tamen et cogitatur et capitur ab auditore.* Sic usurpavit IV, 440, 462, 592, X, 331, 581, XII, 645 aliosque locos. Quintilianus non dissentit ab hoc usu: VIII, 3, 83: *vicina praedictae* (brachylogiae) *est emphasis, altiorem praebens intellectum quam quem verba per se ipsa declarant. Eius sunt duae species, altera, quae plus significat quam dicit, altera, quae etiam id quod non dicit.* IX, 2, 64: *est emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur,* VIII, 3, 86 *est in vulgaribus quoque verbis emphasis: ‚virum esse oportet', ‚homo est ille', ‚vivendum est',* VIII, 2, 11: *emphasis, quae efficit, ut plus intellegatur.* Isidor. de rhet. 517: *emphasis, quae plus quiddam, quam dixerit, intellegi facit.* Discrimen igitur de emphasis usu statui non potest.

Cacenphaton Servius descripsit I, 193 *,cum navibus'. cacenphaton in sermone, quod fit, si ,cum' particulam ,n' littera sequatur.* II, 27 *,Dorica castra'. mala est compositio ab ea syllaba incipere, qua superius finitus est sermo. Nam plerumque et cacenphaton facit, ut hoc loco.* VIII, 406 *,coniugis infusus gremio'. hoc est ante concubuit et sic quievit. Probus vero et Carminius propter sensum cacenphaton ,infusum' legunt, ut sit sensus ,dormiit cum coniuge dormiente', i. e. petiit soporem infusum etiam coniugis gremio.* Discernenda igitur duo cacenphata sunt, primum in sermone, in verbis, I, 193, II, 27. Quam definitionem I, 193 attulit Servius, non omnia huius cacenphati generis exempla concludere apparet, sed ad hoc solum factum esse. Alterum cacenphaton in sensu, quod continetur obscaenitate quadam: infusus gremio coniugis soporem petit. Quintil. VIII, 3, 44 et 47 inter vitia orationis cacenphaton enumeravit: *sive mala consuetudine in obscurum intellectum sermo detortus . . sive iunctura deformiter sonat.* Usurpavit igitur ut Servius. Non consentiunt cum his Iul. Victor 433 *cum ultima syllaba verbi cum prima posterioris facit obscaenitatem* et Mart. Cap. 475. Congruit cum Quintiliani et Servii usu Charis. 270: *cacenphaton est compositio verborum obscaenae significationis aut unius verbi obscaena pronuntiatio.* Eadem sentiunt Diom. 451, Don. 396, Adel. 213, Hec. 206.

Cacosyntheton tractavit Servius IX, 606: *,versaque iuvencum terga fatigamus hasta nec tarda senectus'. est autem cacosyntheton et homoeoteleuton.* Cacosyntheton ex eo constat, quod ,versa' ad ,hasta' pertinens ita positum est, ut etiam cum ,terga' coniungi possit. Quod male positum cacosyntheton dicitur. Quint. VIII, 3, 59 *cacosyntheton est quod male conlocatum est.* Don. 392: *cacosyntheton est vitiosa compositio verborum, ut* IX, 606. Eadem Char. 271, Diom. 451.

Tapinosis definitur a Servio I, 118, III, 197. *,In gurgite vasto'. tapinosis est, i. e. rei magnae humilis expositio. Gurges* enim vox rem nimis parvam exprimit pro magnitudine maris, 465 *umectare* pro flumine, II, 20 *cavernae* pro navibus, 482 *fenestrae* pro ,iacentes muri ruinas', X, 763 *Nerei stagna* pro *maria.* Plen. II, 46 *ligno* per tapinosin pro ,equo Troiano' dictum esse vult. Quintil. VIII, 3, 48 *Tapinosis . ., qua rei magnitudo vel dignitas minuitur.* Iisdem verbis atque Servius descripserunt tapinosin Charis. 271: *Tapinosis est rei magnae humilis expositio,* Diom. 450, Don. 395. Servius, quippe qui ad Donati artem commentarium scripserit, quin hanc doctrinam Donato debeat non dubito. Neque igitur ex vitiis orationis quae tractat Servius ad grammaticam artem pertinentibus quicquam de rhetorico Servii exemplari erui posse arbitror.

Iam ad finem pervenimus atque nunc ad totum quod emensi sumus iter retrospectemus.

Consensus omnium rhetorum quos adhibui statuendus est in 1. metaphorae, 2. allegoriae, 3. hyperboles, 4. periphrasis, 5. aposiopesis, 6. parenthesis, 7. apostrophae usu.

Cum **Quintiliano** solo congruit Servius nonnisi de abusione, in qua ceteri dissentiunt.

Aquila Romanus (Martianus Capella) idem sensit cum Servio de 1. ironia, 2. homoeoteleuto, cum in 3. paralipsi Servius praeter Aquilam etiam cum Charisio consentiat.

Plurimis de vocabulis consentire Servium videmus cum **Diomede-Charisio.** Sunt ea 1. synecdoche, 2. onomatopoiia, 3. antonomasia (quamquam enim Servius uno loco Charisium

impugnat, tamen ad eundem fontem recurrere ambos apparet), 4. antiphrasis (in qua congruit quoque Mart. Cap.), 5. sarcasmos, 6. astismos (Diom.), 7. metalempsis, 8. ellipsis, 9. hyperbaton, 10. hirmos, 11. synchysis.

Cum **Donato** idem sensit Servius ceteris dissentientibus de his quae sunt 1. hypallage, 2. litotes, 3. tmesis, 4. antapodosis, 5 et 6. syllempsis et zeugma, ut opinor.

Nonnisi apud Servium invenitur oxymoron, hendiadyoin denique.

Dissentit ab omnibus Servius de 1. metonymia, 2. hysterologia, 3. hysteroprotero.

Quid nunc de Servii exemplari statuemus? Scilicet **Servium una cum Charisio, Diomede, Donato ad unum fontem recurrere.** Charisius nimirum et Diomedes et ars Donati ex illo fonte nonnisi quod ad grammaticorum usum fuit hauserunt, cum Servius et Donatus in commentariis suis ex profundo hauserint. Non prompsisse Servium rhetorica sua ex Donato illa vocabula videntur demonstrare, quorum in usurpatione non cum Donato sed cum aliis, quos et ipsos illud rhetoricum enchiridion adhibuisse veri est simile, consentit. Tum vero Donatum ut in commento Terenti ita etiam in Vergiliano commentario vocabulorum rhetoricorum species adpositis numeris discrevisse pro certo habeo, quos Servius si vocabula inde abstulisset, non neglecturus fuisset. Neque obstat meae coniecturae quod Servius de hysterologia, hysteroprotero, metonymia aliter sentit atque reliqui omnes. Servii enim doctrinam nonnisi ex eo, quod suam artis vocabulorum notitiam ad exempla in Vergilio occurrentia rettulit, nobis notam esse memineris. Discere potuit et debuit illa technica ex libro manuali rhetorico, quod si fecerat Vergilii interpres in adhibenda hac doctrina ubique quid ipse de arte poetae sentiret poterat afferre. Aliud igitur est disciplinae totius complexio, aliud commentatoris grammatici officium, qui disciplinam rhetoricam ad poetae versus explicandos quasi ad exempla adhibet et accommodat. Itaque proprium

illum metonymiae aliorumque vocabulorum usum Servius ipse excoluisse videtur. Haec sunt quibus statuere cogamur enchiridion rhetoricum exstitisse, ex quo Servius ipsam rhetoricam disciplinam didicit. Cuius auctor omnia eius artis vocabula amplexus et singillatim persectatus erat, qualia ex parte in Donati commento Terenti invenimus. Donatus enim in commento amplissimum nobis servavit specimen illius enchiridii, Charisium et Diomedem nonnisi ea protulisse, quae grammaticorum usui essent, antea memoravi.

Longe aliter rem se habere apparet in **pleniore** qui dicitur **commentario** Vergiliano, quem non unum et plenum opus sed additamenta ad Servii commentarium esse constat. Cuius auctor vel auctores supplementa ex aliis commentariis adponere satis habebant. Non ita doctum fuisse auctorem ex eis locis elucet, quibus vocabula rhetorica falsissime adhibentur: synecdoche IV, 16, hysteroproteron IX, 83. Persaepe usus eorum abhorret a Serviano, de metonymia: I, 177, III, 138, X, 365 conferas cum Servii I, 1 et I, 724 synecdoche, de apostropha Buc. VII, 125, hyperbato I, 1, Geo. II, 238, ellipsi III, 393, zeugmate IX, 530, hysterologia, hysteroprotero: exempla IV, 588, VIII, 227, X, 314, 140, VIII, 593 dissentiunt a Serviana horum vocabulorum usurpatione. Nonnisi pleniore commentario continentur antitheton, epanalempsis, polysyndeton, epidiorthosis, obiectio. Antithesis usus abhorret ab omnium rhetorum. Magnum quoque numerum exemplorum plenioris commentarii cum Servio congruere duas rationes habeo quibus explicem. Aut auctor plenioris commentarii illa de commentario Vergiliano Donati, quem et ipsum ex Servii fonte vocabula rhetorica didicisse antea demonstrare conatus sum, in Servianum commentarium transtulit, aut — quod doctioris hominis fuit — ea ipse ad Servii exemplorum finxit exemplar.

CAPVT III.

DONATEA.

Perscrutatus rem rhetoricam Donatei in Terentium commenti nonnulla investigavi, quae haud spernenda cognitu esse putaverim. Quae Karstenus[1]) de Terentiano commento explicavit, ex parte comprobans eis, quae iam proferam, confirmare mihi videor.

Antiphrasin Donatus in arte p. 402 unius verbi ironiam esse explicat neque aliter eam atque ceteri usurpavit. In hanc cadunt definitionem Andr. 128, Adel. 26. Excidunt vero ex hac specie: Andr. 782 et Phorm. 134. Nam Andr. 782 *ioculare malum* non antiphrasin sed oxymoron dixerim. Contrarium enim hic non in ipso verbo sed in duorum inest adpositione. Aeque res se habet Phorm. 134 *iocularem audaciam.* Iam vero id in suspicionem mihi venit, quod auctor utrobique ad vocem ‚iocularis' adnotavit hanc antiphrasin esse, tamquamsi cum illa hanc putaret esse coniunctam. Itaque non Donati sed interpolatoris haec esse mihi persuasi.

Aposiopeses vel reticentias tribus modis fieri Donatus Andr. 790 explicavit: *aut enim tacet per se ipsum et ad aliud transit, et est prima, aut tacet nec ultra aliquid dicet et est secunda, aut alterius interventu personae silet et est tertia.* Cui definitioni repugnat Andr. 767 et Phorm. 122, ubi aposiopesis quarta adnotatur. Sed primum cetera exempla spectemus. Prima aposiopesis invenitur Andr. 153 (con.

[1]) Karsten, de commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione, Lugduni Batavorum a. 1907, et Mnemosyne vol. 32 et 33.

Steph), ubi loquitur Micio, sed repente reticet ad aliud transiens. Secunda: Eun. 184, 350, 787, 889, 927, Phorm. 51, 121, 496, 900. Haec autem monenda sunt: Eun. 350 *vidi, novi, scio quo abducta sit* aposiopesin invenire non possum, nam ad vocabula *vidi, novi* enuntiata quae obiectum contineant desunt, velut ‚vidi euntem, novi quo comite usa sit'. Sed quamquam aliquid deficit, tamen non est aposiopesis, qualem Donatus descripsit. Eun. 927 *quod ei amorem difficillumum, carissimum, a meretrice avara virginem, quam amabat, eam confeci sine molestia,* et Phorm. 121 *daret illi? numquam faceret,* quamquam reticentiae fiunt, tamen loqui pergunt personae, neque de alia re sed de eadem, cum incipiant novum enuntiatum. Est igitur ellipsis, non aposiopesis. Tertia aposiopesis, in qua alterius personae interventu siletur, legitur Andr. 747, 790, 872, Hec. 745, Phorm. 618. Quartam nunc aposiopesin quam praeter has species tres Donatus protulit, adeamus. Phorm. 122 *quid fiat?* scilicet rogitas, idem est exemplum atque quod in ellipsi affert Andr. 191 *hoc quid sit,* scilicet ‚quaeris'. De aposiopesi autem et ellipsi Donatum idem sentire atque Servium arbitror: aposiopesin ellipsis speciem esse. Quod ex Andr. 469, 886 effici puto, quibus locis Donatus *ellipsis per aposiopesin* adnotavit et ex Andr. 635, Eun. 68, 849, 479, Adel. 158, 330, ubi binis scholiis et ellipsin et aposiopesin invenimus. Quin etiam *ellipsis vel aposiopesis* exstat Andr. 149, Eun. 889, ubi ‚vel' voce correctionem exprimi apparet, ut significat ‚vel potius'. Definitionem enim nimis amplam praebuit, non respiciens differentiam specificam. Itaque quamquam aposiopesin ellipsin quoque dici posse concedimus, tamen versa vice ellipsis quaeque aposiopesis non esse debet. Andr. 767 *o facinus animadvertendum!* Donatus aposiopesin adnotavit, quam exclamationem non aposiopesin sed ellipsin dicere oportuit. Itaque hanc quartam aposiopesin, quippe quae repugnet definitioni Andr. 790 et per se falsa videatur esse, liquet esse spuriam. In primam

speciem cadunt Andr. 165, 381, 469, Eun. 990, Adel. 227, 275, Phorm. 232, in secundam Andr. 149, 886, Eun. 65, 405, in tertiam Adel. 135, Phorm. 110, 255. Eun. 626 *in convivium illam!* exclamatio est, neque in aposiopesin sed ellipsin cadere potest. Item Phorm. 111, 451.

Paronomasia quomodo a parhomoeo differat Donatus Andr. 218 explicavit: *si verba sunt, parhomoeon, sin nomina* — quae iuxta ponuntur — *paronomasia dicitur.* Neque vero exempla hanc definitionem explent: Andr 242 altera vox nomen est, item 592, Eun. 780. Eun. 245 parhomoeon dixit, quod paronomasiam nominari oportuit: *tota erras via.* Adel. 300 *afferant et conferant* parhomoeon dixit, *sicut supra ‚omnes omnia'.* Haec quoque definitioni Andr. 218 oppugnare elucet. Hec. 168, 274 nomina similiter sonantia, quae iuxta ponuntur, parhomoeon dicuntur, quas secundum illam descriptionem paronomasias dicere debebat. Adel. 423 *quod queo:* hic Donati codices lacunam exhibent, Stephanus coniecit parhomoeon supplendum esse. Hec. 50: *quaestum maximum quam maxime.* Donat. ad l. *[ut] inique iniqui.* Tum libri lacunam praebent, Stephanus supplevit parhomeon. Quod alienum est a superiore, ubi respiciens ad artis definitionem (pag. 398): *parhomoeon est cum ab iisdem literis diversa verba initium sumuntur* coniecturam fecit, hoc loco vero ex commenti Andr. 790 definitione. Sane hoc rectius est, sed ne hoc quidem rectum. Coniecturam non ex artis definitione, quae ab Andr. 790 aliena est, sed ex commenti deducere debebat, verum si ad Andr. 790 respicis, *maximam maxime, iniqui-inique* i. e. cum nomina similia iuxta ponuntur, paronomasiam dicere debes. Hec. 19 *novas studiose, ne illum ab studio:* libri lacunam exhibent, Lindenbrogius supplevit parhomoeon. Qui si ad Andr. 790 respexisset, et ipsum ut Stephanum Hec. 50 paronomasiam scribere oportuit. Cum vero exemplorum Terentianorum ne unum quidem definitionem Andr. 790 expleat, hanc Donati non esse mihi persuasi.

Ut iam antea aliis exemplis propositis Donati scholia multa inepta atque spuria continere satis mihi demonstravisse videor, ita quod modo tractavi, concinit cum illis atque idem confirmat. Haec habui de Donato quae dicerem.

Vita.

Natus sum Carolus Otto Feyerabend Borussus pridie Kal. Sept. 1886 in vico Jestaedt ad Visaram sito patre Gustavo, matre Lina e gente Sangmeister, quibus viventibus adhuc gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Pater cum me ipse latinitatis rudimenta docuisset, initio a. 1897 gymnasio Hersfeldensi instruendum me dedit artibus liberalibus. Maturitatis testimonio accepto vere anni 1905 universitatem Ludovico-Maximilianam Monacensem obii et inter cives sum receptus academicos. Tria semestria cum ibi me studiis philologis, historicis, philosophicis dedidissem, autumno anni 1906 Lipsiam migravi, ubi per unum semestre permansi. Vere anni 1907 Marpurgi, quo me ad perficienda studia contuleram, civibus academicis adscriptus sum. Docuerunt me viri doctissimi

Monacenses: v. Christ †, Crusius, Furtwaengler, Grauert, Lipps, v. Mueller, Poehlmann, Traube †, Vollmer.

Lipsienses: Brandenburg, Doren, Immisch, Lamprecht, Lipsius, Schulz, Studniczka.

Marpurgenses: Birt, Cohen, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Menzer, Natorp, Schücking, v. Sybel, Thiele, Varrentrapp, Wenck.

Seminarii philologi Monacensis exercitationibus ut interessem benigne permisit I. de Mueller. Lipsiae proseminarii sodalis fui Immischio moderante, Marpurgi Birtio, Thieleio. Seminario philologo Marpurgensi per tria semestria interfui Birtii, Kalbfleischii, Maassii benignitate. Exercitationibus historicis, philosophicis aditum mihi praebuerunt Klebs, Natorp.

Omnibus qui me docuerunt magistris gratias ago quam maximas, imprimis Birtio, qui et suscipiendi huius opusculi auctor fuerit et in perficiendo consilio me adiuverit.

Examen rigorosum habitum est a. d. VII. Kal. Mart. a. 1910, ex quo die Hersfeldiae, in urbe patria, versatus sum.